
HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE
RI
TAS

QUAERITUR QUO JURE HORATIUS IN SATURIS MENIPPUM IMITATUS ESSE DICATUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT


ERNESTUS ROWE

STETINENSIS.

HALAE SAXONUM,

TYPIS PLOETZIANIS (R. NIETSCHMANN).

MDCCCLXXXVIII.


HARVARD COLLEGE
DEC 24 1889
LIBRARY.

Parentibus carissimis sacrum.



Romanos, quamquam notum est, cum essent penitus intenti rebus, quae ad rem publicam pertinent, in litteris nihil fere valuisse, tamen unum litterarum genus et invenisse et excoluisse Quintilianus[1]) testatur X 1, 93 his verbis ‚satura quidem tota nostra est'. Et profecto hoc litterarum genus Graeci, qui in ceteris exempla Romanis ediderunt, non exercuerunt. Sive enim eorum iambos, sive comoediam Atticam antiquam, sive sillos comparaveris, nullum Graecarum litterarum genus invenies, quod Romanae saturae plane respondeat.[2]) Sed Romani, etiamsi in invenienda satura exempla Graecorum non secuti sunt, tamen in excolenda a Graecis pependerunt. Atque ipsum Lucilium, inventorem[3]) eius generis, totum cum illis cohaesisse Horatius tradit.[4]) Quod utrum vere an falso, ut existimat Lucianus Muellerus,[5]) judicaverit, in medio relinquimus. Horatium autem, Augusteae aetatis studia secutum, ducibus Graecis non solum in carminibus et epodis, sed etiam in saturis componendis usum esse, ipsius testimonio sat. II 3, 11, 12 ‚Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro, Eupolim Archilochum comites educere tantos?' constat. Menippus, quamquam in his Graecis exemplis non enumeratur, facile

[1]) Horati verba sat. I 10, 66 ‚rude et Graecis intactum carmen' hic non affero, quia antiqua illa carmina versibus saturniis composita eis significari puto, omnium paene virorum doctorum sententiam amplexus. Cfr. Crainium (philol. IX p. 575 sqq.) Ribbeckium (ann. philol. 1858 p. 213) Riesium (Varr. sat. Menipp. p. 5) Herm. Fritzschi adn. a. h. l.

[2]) cfr. Rothium ‚Zur Theorie u. inneren Gesch. d. röm. Sat.' p. 4 sqq., Mettium progr. gymn. Brilon. a. 1868 p. 28 sqq.

[3]) Horat. sat. I 10, 48. [4]) sat. I 4, 6. [5]) ed. Lucil. sat. reliq. p. 291.

tamen cuipiam pro exemplo Horatio fuisse videatur, quippe qui Varroni dignus visus sit, ad quem in saturis se applicaret. Quod cum a Theodoro[1]) et Hermanno[2]) Fritzschiis, Martino Hertzio[3]) affirmatum, ab A. Heinrichio[4]) negatum, ac ne ab iis quidem, qui Theodori et Hermanni Fritzschiorum libros recensuerunt,[5]) diiudicatum esse videam, non ineptum puto retractare. Atque in tres partes hanc disputationem dispertire placet, ita ut primum de Menippo eiusque scriptis verba faciam, deinde in universum disputans, quae ratio inter Menippum et Horatium intercedat, explicem, tum singulas similitudines examinem, quae exstant inter Horatium et Varronem Lucianumque, qui cum Menippum imitati sint, postquam ipsius Menippi libri omnes perierunt, paene soli paulo plura de eo docent.

Primum igitur de Menippo[6]) videamus. Qui vixit, ut nunc inter omnes fere doctos constat,[7]) in priore saeculi a. Ch.

---

[1]) libello, qui inscr. „Menipp und Horaz". Gustrov. 1871 et in philologi t. XXXII (a. 1873) p. 744 sqq.

[2]) in praefat. ed. sat. Horat. I p. 23 sqq., p. 28 sqq.

[3]) in analect. ad carm. Horat. hist. p. 7 in ind. lect. Univ. Vrat. 1879.

[4]) progr. gymnas. Graciens. a. 1885, quod inscr. „Lukian u. Horaz".

[5]) W(achsmuthius) nunt. phil. IV p. 196 sqq.; Kellerus „Götting. gel. Anz." 1876 p. 554—567, Petschenigius „Ztschr. f. Österr. Gym." 1877 p. 106—121, R. „Lit. Centralbl." No. 32 p. 1041 an. 1875, No. 50 sp. 1661 an. 1876. G. Beckerus „Jen. Liter." No. 48 p. 856 an. 1875. Widmannus „Lit. Rundsch." No. 14 p. 471—74 an. 1876.

[6]) Egerunt uberius de eo: Leyius ‚de vita scriptisque Menippi cynici' 1843. Oehlerus ‚M. Ter. Varr. satirr. Menipp. rell.' p. 21 sqq. 1844. Curt. Wachsmuthius ‚de Tim. Phlias. ceter. sillogr. Graec.' 1859; ed. alt. 1885 in fasc. alt. corpusc. poes. epic. Gr. lud. p. 78 sqq. Riesius Varr. satirr. Menipp. rell. proleg. p. 8. 1865. F. V. Fritzschius ‚de script. satirr. spec. III. IV. V. (ind. lect. Rostoch. 1865 et 1866) et prolegg. ad Luc. p. XXXVII t. II[2]. Theod. Fritzschius ‚Menipp u. Horaz' p. 7 sqq. Wasmannsdorffius ‚Luciani script. ea, quae ad Menip. spectant, inter se comp. et diiudic.' diss. Jen. 1874 p. 6 sqq. Eug. Wildenowius ‚de Men. cyn.' diss. Hal. 1881.

[7]) argumenta huius sententiae optime Nietzschius progr. paedagog. Basil. a. 1870 ‚Btrge. z. Quellenk. u. Kritik d. D. L.' et Zellerus hist. phil. Gr. II 1[3] p. 246 sq. exposuerunt, quae sententia ad liquidum perducta est, postquam illud, in quo offendebatur, vera interpretatione verborum Diog. Laert. VI 99 ‚*τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ . . . καί τι ἴσον τοῖς Μελεάγρου τοῦ κατ' αὐτὸν γενομένου*' a Maasio ‚de biograph. Graec.' p. 18 sublatum est.

tertii parte. Natus est Gadaris, in urbe Palaestinae, Strabone[1]) et Stephano Byzantio[2]) auctoribus. Ab Achaico[3]) *Φοῖνιξ* appellatur, cum pro partis terrae nomine nomen totius terrae ponatur; a Diogene Laertio[4]) Sinopensis, procul dubio, quia Sinopae cum domino suo Batone Pontico — ita dominum eius Diocles[5]) nominat — commorabatur. Servum enim eum fuisse testimoniis Achaici,[6]) Dioclis,[7]) Gellii,[8]) Macrobii[9]) constat. Libertatem adeptus — Diogenes dicit[10]) *ἀτηρότερον αἰτῶν ὑπὸ φιλαργυρίας ἴσχυσε Θηβαῖος γενέσθαι* — diu in Graecia vixit. Ubi cum *ναυτικῷ τόκῳ δανείζειν καὶ ἐξενεχυριάζειν* soleret, *ἡμεροδανειστὴν* eum factum et vocatum esse et maximas opes coegisse Hermippus[11]) refert. Versabatur autem ille Corinthi,[12]) Athenis,[13]) Thebis,[14]) ubi, cum pecunia spoliatus esset, maerore oppressus vitam laqueo finivisse dicitur.[15]) Atque quin voluntariam mortem obierit, cum idem Lucianus[16]) referat, dubitari nequit; ob jacturam autem divitiarum mortem eum sibi conscivisse, Diogenes Laertius incertis auctoribus usus, cum eos sequeretur, qui a Menippo illusi atque castigati inimici ei essent, memoriae prodidisse videtur. Certe si Luciano, qui senem eum hominum cupiditates et studia irridentem facit,[17]) fidem habuerimus, illud fieri potuisse negabimus. Ita igitur statuemus, ut Menippum, licet adulescens opes cupidissime appeteret, senem eas omnesque res externas, quas homines petunt, despexisse dicamus.

Et non modo ipse ita de rebus humanis sensit, verum etiam ut ceteri idem judicarent, postulavit. Qui secus vellent, eos acerbissime castigavit.[18]) Praeter hos etiam eos, qui in philosophia — nimirum Cynicis ipse se addixerat testibus Diog.

---

[1]) XVI 759. [2]) p. 193 s. v. *Γάδαρα*. [3]) apud Diog. Laert. VI 99. [4]) VI 95. [5]) apud Diog. Laert. VI 99. [6]) [7]) apud Diog. Laert. VI 99. [8]) n. A. II 18, 6. [9]) sat. I 11, 42. [10]) VI 99. [11]) apud Diog. Laert. VI 99. [12]) [13]) v. Luc. mort. dial. I 1. [14]) v. Diog. Laert. VI 99, 100. [15]) Diog. Laert. VI 100. [16]) mort. dial. 10, 11; 21, 2. [17]) in mort. dial., Necyom., Jcarom.

[18]) hoc quamquam ex eius librorum titulis et fragmentis, quae ad nos pervenerunt, elici nequit, tamen inde sequitur, quod apud Luc. (inpr. Necyom. 14) eas partes ille sustinet.

Laert.,[1]) Luciano,[2]) Athenaeo [3]) — et in religione alia sequerentur, eum sugillasse cum ex ea imagine, quam Lucianus [4]) expressit, tum ex ipsis librorum titulis, quos Diog. Laert., Athenaeus, alii servaverunt, dilucide apparet. Commemorat autem Diog. Laert.[5]) hos: *νέκυια, διαθῆκαι, ἐπιστολαὶ κεκομψευμέναι ἀπὸ τοῦ τῶν θεῶν προςώπου, πρὸς*[6]) *τοὺς φυσικοὺς καὶ μαθηματικοὺς καὶ γραμματικοὺς καὶ γονὰς Ἐπικούρου καὶ τὰς θρησκευομένας ὑπ' αὐτῶν εἰκάδας*, alio loco [7]) *Διογένους πρᾶσις*, quae num revera Menippo adscribenda sit, dubium [8]) est, Athenaeus *Ἀρκεσίλαος*,[9]) ex quo libro haec affert ‚*πότος τις ἦν ἐπικωμασάντων τινῶν καὶ ματτύην ἐκέλευσεν εἰςφέρειν Λάκαινά τις. καὶ εὐθέως περιεφέρετο περδίκεια ὀλίγα καὶ*

---

[1]) VI 99, 101. [2]) *δὶς κατηγ.* 33, *νεκυομ.* 1, *νεκρ. διαλ.* 1, 1: 2, 1; 21, 1; 22, 3. [3]) 1, 23; 14, 629; 14, 664. [4]) in Mort. dial., Necyom., Jcarom. [5]) VI 101. [6]) utrum, quae sequuntur verba, unum an plures librorum titulos efficiant, quia vanum et inutile puto, inquirere omitto. cfr. Wilden. 25 adn. 8. [7]) VI 2, 29.

[8]) Verba autem haec sunt: in Cobeti codicibus ‚*φησὶ δὲ Μένιππος ἐν τῇ Διογένους πράσει*', in Sambuci et Ambrosii codicibus ‚*φησὶ δὲ Ἕρμιππος* . . . .‘. Qua in codicum differentia difficile est diiudicare, cum quae ratio inter duas illas codicum familias intercedat, nondum exploratum esse videatur: Certe Nietzschius l. l. p. 28 hanc, Wachsmuthius corp. poes. ep. Gr. ludib. II p. 82 adn. 7 illam meliorem esse contendit. A codicibus igitur nullum auxilium petendum est; ac ne interpretes quidem hunc locum expedivisse mihi videntur. Nam quod Menagius (observ. in Diog. L. VI 29; ed. G. Huebner. vol. II p. 20) Lozynskius (Hermippi fragm. p. 40) Huebnerus (ed. Diog. Laert. II p. 21) contra lectionem ‚*Μένιππος*‘ obloquuntur (cfr. Theod. Fritzschium ‚Hor. u. Menipp‘ p. 13), ‚qui in D. L. verbis II 2,30 vocetur, *Εὔβουλος* (*Εὐβουλίδης* Menagius), eum prope accedere („stehe nahe“) ad Hermippum, peripateticum Smyrnaeum, non ad Menippum, cynicum Gadarenum‘, licet verum sit, tamen non impedit, quominus etiam Menippum *Διογένους πρᾶσιν* scripsisse putemus; et quae Wildenow. (p. 27) contra lectionem ‚*Μένιππος*‘ dicit, ‚Diogenem Laertium neque in Menippi scriptis enumerandis (VI 101) auctionem illam commemorare neque unquam Menippi testimonio uti‘, haec ideo nullius momenti sunt, quia Diogenes Laertius et seriem librorum Menippeorum finit verbis ‚*καὶ ἄλλα*‘ et semel eum Menippum testem adhibuisse sine dubio credi potest. Contra Riesius Varr. sat. Menipp. frg. p. 245 et Wachsmuthius l. l. II p. 82 Cobet. ed. lectionem ‚*Μένιππος*‘ retinent. Itaque adhuc sub judice lis est. Nam ne Nitzschii quidem conjectura l. l. p. 28 probabilitatem habet. [9]) XIV 664 e.

χήνεια ὀπτὰ καὶ τρύφη πλακούντων‘, συμπόσιον,[1]) in quo Menippum *κόσμου ἐκπυρώσεως* ut saltationis cuiusdam mentionem fecisse adnotat, postremum non nominato libro, ex quo petivit, hoc fragmentum[2]) ‚*ὁ γοῦν κυνικὸς Μένιππος ἁλμόποτιν τὴν Μύνδον φησίν*‘. Praeterea Suidas et Photius Menippi Cynici[3]) mentionem faciunt. Atque ille[4]) haec dicit ‚*Μένιππος Κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι Κέρκωπες* (*ὄφεις* Eudocia addit[5])) *καὶ ἄλλα*‘, hic[6]) inter poetas ab Jo. Stobaeo excerptos Menippum nominat. Quod autem Meinekius[7]) drama *Δίες* inscriptum, quod opus ignoti alicuius poetae ab Aelio Dionysio commemoratum apud Eustathium ad Hom. p. 1384, 46 legitur, Menippo tribuit, coniectura haec est, certis argumentis carens.[8]) Hi tituli librorum Menippeorum ad nos pervenerunt, ex quibus, quamvis in nonnullis de argumento dissensio magna[9]) sit, in universum de seriis rebus Menippum egisse nemo negabit. Tamen Diog. Laert. affirmat[10]) ‚*φέρει μὲν οὖν σπουδαῖον οὐδέν. τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ πολλοῦ καταγέλωτος γέμει*‘. Itaque Menippum ut de rebus gravibus plerumque ex philosophia sumptis, ita iocose scripsisse statuemus. Cui sententiae optime convenit, quod cognomen *σπουδογελοίου* a Strabone[11]) et a Stephano Byzant.[12]) ei datum est. Hactenus de argumento librorum Menippi.

De forma autem dicendi tradita sunt haec: conscripti erant eius libri prosa oratione versibus immixtis, quod primum docet forma saturarum Varronis, qui Menippeus[13]) vocatus est. Nam prosa et poetica oratione compositae[14]) fuerunt illae

---

[1]) XIV 629 e. [2]) I 32 e. [3]) de quo cur non cogitandum sit, abest causa. v. Wildenow. p. 33 et 35. [4]) s. v. *Μένιππος*. [5]) violarium p. 202. [6]) in bibl. 167 p. 115. [7]) Vind. Strab. p. 234 sq. [8]) cfr. impr. Ries. l. l. p. 10 adn. 1. [9]) quae conjectura colligi possint, v. Wildenow. 24 sqq. [10]) VI 99. [11]) XVI 2, 29 p. 759. [12]) v. *Γάδαρα*. [13]) testimonia collegit Roeperus (Varron. Vindic. philol. XVIII p. 419 A. 1). [14]) cfr. Quint. X 1, 95 ‚alterum illud etiam prius (amplius i. e. umfassender, mannigfaltiger aptissime Luc. Mueller. „Rhein. Mus.“ 1869 p. 140 mutavit) saturae genus, sed non sola carminum varietate (sc. verum etiam prosa oratione) mixtum condidit Terent. Varro, vir Romanorum eruditissimus‘ et Buecheler. ‚Bemerkungen zu d. Varr. Sat.‘ mus. Rhe. XIV 421 sqq.

saturae, quas Menippeas ille vocavit,[1] ut ipse dicit,[2] ‚Menippum imitatus, non interpretatus'. Deinde Probus[3] his verbis ‚is (sc. Menippus) quoque omnigeno carmine saturas suas expoliverat' id testatur, ubi ipsum saturae nomen translatione quadam ab imitatore Romano petita de Graeco litterarum genere usurpatur. Tum ex ipsius Menippi librorum fragmentis, quae ad nos pervenerunt, illud elucet.[4] Postremo testis Lucianus, qui non solum oratione in illum modum mixta Menippum utentem facit,[5] sed etiam verbis ‚τὸ γὰρ πάντων ἀτοπώτατον — δοκῶ[6]) illud indicat. Versus autem, quos libris inseruit, plerumque ex aliorum carminibus Menippum sumpsisse, ita ut eos in sillographorum modum parodiis deflecteret, etiam hoc ex ea ratione sequitur, qua Lucianus loquentem eum inducit. Ceterum dialogi forma ille usus esse videtur, si quidem ad illum referre licet, quod Varro et Lucianus eam usurpaverunt. Haec habui, quae de Menippo dissererem, quae sufficere puto ad eam quam nobis proposuimus quaestionem diiudicandam.

Jam venimus ad alteram partem, qua quid ex universa ratione, quae Horatio cum scriptoribus Graecis intercedit, ad necessitudinem illius cum Menippo statuendam redundet, explicare constituimus. Atque Theod. Fritzschius Horati studio et amori in scriptores Graecos multum tribuit[7], quo eum necessario ad Menippum ductum esse putat. Causam autem, cur neque Menippum neque Varronem ille nominaverit, hanc Theodorus Fritzschius affert „er war sich bewusst, der menippeischen Sat. wesentliche Eigenschaften entlehnt zu haben, die seine Sat., in entschiedenem Kontrast zu der streng republikanischen des Lucilius, zu einer rein monarchischen stempelten." Accedere, quod Varro contra Caesarem, Augusti avunculum, pugnaverit. Atque vere se sentire et ex verbis

[1]) Gellius n. Att. II 18; Macrob. saturn. 1, 11. [2]) apud Cic. acad. post. I 8. [3]) in Vergilii ecl. VI v. 31, p. 14 Keil. [4]) Preller. annal. litt. Jen. 1847 p. 621, Riesius l. l. 11, Fritzschius de script. sat. spec. III 7., Th. Fritzsch. ‚Men. u. Hor.' p. 14., Wachsmuth. II p. 80, Wildenow. p. 29. [5]) in Jcarom., Necyo., al. [6]) Bis accus. 33. [7]) ‚Hor. [illegible] sqq.

ipsius Horati ep. II 2, 60 ‚Bioneis sermonibus et sale nigro' et ex initio vitae Horatianae Suetoni, quod cum narratione Bionis a Diog. Laert.[1]) tradita fere iisdem verbis repetitis congruat, elicit. Horatium enim, cum Lucili saturam (et suam quoque saturam) nominet ‚Bioneos sermones et sal nigrum', Menippum tangere, qui ex eodem Bione hauserit, et quod ad locum illum vitae Horatianae cum Diogenis Laerti verbis convenientem attinet, non fuisse, cur Bion adhiberetur, nisi praeter similitudinem ignobilium parentum altera eaque gravior similitudo inter Bionem Horatiumque exstitisset, quod Bionem Menippus, Menippum Horatius secutus esset (de his somniis v. p. 25 eius comment. ‚Men. u. H.')

Etiam Hermannus Fritzschius Horatium a Menippo pendere existimat, ad quem, cum Varronis legeret sat. Menippeas, paene necessitate quadam ductus fuerit.

Contra utrumque A. Heinrichius pugnat. Atque primum illud, quod Th. Fritzschius ex Horat. ep. II 2, 60 concludit, recte reicit. Deinde ne similitudinem quidem, quae inter Horatianae vitae initium et sermonem illum Bionis intercedat, cum illa verba apud Suetonium interpolata sint, quidquam valere demonstrat. Tum in summum illud, num Horatius Menippo usus sit, inquirit. Atque suo jure in ea re offendit, quod Horatium ea de causa, quia conscius sibi fuisset, multa se Menippo debere, mentionem eius non fecisse Th. Fritzschius dicit. Nam hanc causam nullam vim sibi habere, Horatium ipsum apertissime ostendisse, cum Alcaeum, Sappho, Archilochum, alios pro exemplo sibi fuisse profiteri non vereretur. Quod autem Horatium Menippo non usum esse ex hoc silentio sumit, ultra probabilitatis terminos A. Heinrichius egressus esse mihi videtur. Nam non omnes, quibus usus est, nominatim Horatium appellasse, cum olim constabat, tum, postquam Th. Arnoldi dissertationes ‚d. griech. Stud. des Horaz' prodierunt, omnibus probatum est. Jam manet primarium illud Theod. Fritzschi argumentum, omnino Horatium et ipsum Graeca exempla amasse et aliis commendasse. Sed etiam hoc argumentum ab A. Heinrichio bene refutatum est,

[1]) IV 7, 1.

cum Menippi saturas neo ea forma scriptas esse nec eas res continuisse dicat, quibus Horatius allici posset. Nam cum prosa et poetica oratione compositae essent atque duras et agrestes res continerent, potius ab iis Horatium elegantiae formae et urbanitatis argumenti amantissimum deterreri necesse fuisse, praesertim cum Cynicis omnino non faveret. Haec in universum de Menippo et Horatio prolata sunt.

Menippum Horatio ignotum fuisse incredibile mihi videtur; sed inde non sequitur illum huic exemplo fuisse. Qua in quaestione disceptanda partim amori, quo Horatius Graecos scriptores amplectebatur, partim eius studio verborum limatorum atque rerum facetarum vis tributa est. Adversis frontibus haec argumenta inter se pugnant; utrum majus sit, quaeritur. Quam quaestionem cum in universum disputantes diudicare nos non posse arbitrer, jam, ut id quod nobis proposuimus perficiamus, confugiendum est ad singulas similitudines examinandas.

Ad tertiam igitur huius dissertationis partem nos convertamus. Ut similitudines inter Horatium et Lucianum, qui Menippum aemulatus est, enuclearent, Theodorus et Hermannus Fritzschii et A. Heinrichius, viri sagacissimi, operam dederunt, e quibus Herm. Fritzschius etiam similitudines inter Varronem, item Menippi imitatorem, et Horatium investigare studuit. Itaque satis gravem causam me habere puto, cur similitudines ab illis indagatas modo in examen vocem. Jam autem exsistit quaestio, quomodo eas similitudines, quae quidem sint paulo graviores, ortas esse judicandum sit. Atque Theodorus Fritzschius, Hermanno Fritzschio et Martino Hertzio assentientibus, inde eas ortas esse censet, quod Horatius et Lucianus ex Menippi libris tamquam communi fonte haurirent, id quod Hermannus Fritzschius etiam de similitudinibus, quae sint inter Varronem et Horatium, intellegi vult, contra A. Heinrichius inde, quod Lucianus hauriret ex Horati saturis. Theod. Fritzschius sententiam suam confirmat, cum ‚pro laps. in salut.‘ c. 13 ‚*ἀλλὰ καὶ ὑμεῖς αὐτοί, εἴ τι κἀγὼ τῆς Ῥωμαίων φωνῆς ἐπαΐω, τοὺς προσαγορεύοντας ἀντιδεξιούμενοι τῷ τῆς ὑγιείας ὀνόματι πολλάκις ἀμείβεσθε*‘ afferat, ubi Lucianum ipsum se linguae

Latinae impotem esse profiteri contendit, revera autem contrarium legi quivis incorrupto judicio praeditus concedit. Atque ut Theodorus Fritzschius recte Luciani verba interpretatus sit, cur scriptor ille, ad quem utrumque rediisse dicit, Menippus esse debeat, nullo modo probat. Hoc non prius concedi poterit, quam demonstratum erit, illos locos Lucianeos, qui in comparationem cum Horatianis vocantur, ex Menippi libris fluxisse, quod pro certo explorari omnino non potest, cum Menippi scripta, paucis fragmentis exceptis, omnia perierint.

Cautius Hermannus Fritzschius, sententiam suam defendens, ita argumentatus est: illas similitudines ad eundem auctorem, quo uterque usus esset, referendas esse inde intellegi, quod Lucianus Horatium non novisset. Quod apparere primum ex tota illius vitae et eruditionis ratione, deinde ex ea re quod Graecam rhetoricam, quae semper Romanorum studia contempsisset, profitens victum quaesivisset, tum inde quod rhetores Graeci illi aequales Latine plane nescivissent, postremo inde quod nullus in Luciani scriptis reperiretur locus, qui notitiam aut linguae Latinae aut scriptoris ullius Romani saperet. Neque ullius dictionis Romanae mentionem fieri nisi eius, quae ipsa a Graecis sumpta esset. Nomina Romana, mores Romanos in Graeca transferri, ut illius ipsius nomen in *Λυκῖνος*, Saturnalia in *Κρόνια*. Historiae Romanae inscium Lucianum fuisse, cum multa tum dial. mort. XII testari. Quae si reputaremus, perspicuum esse, quo modo unus ille locus, quo de lingua Latina diceretur, pro laps. int. salut. c. 13 ‚*εἴ τι κἀγὼ τῆς Ῥωμαίων φωνῆς ἐπαΐω*‘ interpretandus esset. Nempe *εἰ* non formulam affirmationis accipiendum esse ‚so gewiss als ich auch lateinisch verstehe‘, sed in vilem et abiectam sententiam, ‚wenn ich überhaupt etwas von eurem Latein aufgeschnappt habe und allenfalls salve, bon jour, und vale, adieu, unterscheiden kann‘. A Menippo autem utrumque ea, quae communia sunt, mutuatum esse, ideo Hermannus Fritzschius opinatur, quia ut inter Lucianum, Menippi aemulatorem, et Horatium, ita similitudines intercedant inter Varronis saturas Menippeas, item ad Menippi exemplum scriptas, et Horatianas.

Plura autem contra has rationes dicenda sunt: Primum

quod Lucianum non novisse Horati saturas ille dicit, dubitationem movet. Quin etiam Latine eum nescivisse ille existimat. Quod ut disceptemus, ab examinando loco illo Lucianeo pro laps. int. salut. c. 13 proficiscendum est, quo quid particula *εἰ* significet, quaeritur. Reiciendam esse Herm. Fritzschi sententiam legibus Graeci sermonis repugnantem, quae hanc potius solam interpretationem ‚wenn ich etwas Latein verstehe, und ich verstehe wirklich etwas' admitterent, A. Heinrichius demonstravit, exemplis nisus ut Soph. Phil. 192, Oed. tyr. 1110, Antig. 719, quibus ipse Herm. Fritzschius in adn. ad Horat. sat. II 3, 33 alia addidit, et ego eius sententiam amplector. Lucianus igitur ipse se Latine scire profitetur. Sed Horatiumne cognovit? Hermannus Fritzschius id negat, compluribus motus causis, quae tamen nullum habent pondus. Contra primum enim argumentum, quo Fritzschius usus est, monendum est, Lucianum et, cum Romae commorabatur [1]), ubi jam Juvenalis temporibus ita florebat [2]) Horatius, ut carmina eius in scholis legerentur, et, cum rhetorica philosophiaque omissa ad dialogos satiricos componendos se contulit, Horatium cognovisse, praesertim cum eadem [3]) fere atque ille natura esset, verisimillimum esse. Contra alteram eius causam disputandum est, licet rhetores Graeci Romanos spernere soliti sint, Lucianum per totam vitam [4]) rhetoricam nequaquam professum esse, sed, cum ad maiorem aetatem pervenisset, illam despexisse [5]) et dialogo satirico exculto gloriam affectavisse. [6]) Ne tertiam quidem causam justam esse, A. Heinrichius [7]) ostendit. Neque vero, quod postremum Herm. Fritzschius profert, ex nullo Luciani operum loco eum aut Latine scivisse aut Romanos scriptores legisse apparere, verum est. Obstare enim quae scripta sunt *πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν* c. 15 ‚*συγγραφεὺς πολλὰ καὶ τῶν ὅπλων καὶ τῶν μηχανημάτων, ὡς Ῥωμαῖοι αὐτὰ ὀνομάζουσιν, οὕτως ἀνέγραψε*', qui libellus procul dubio genuinus est, vere idem A. Heinrichius adnotat; nullum autem

[1]) v. Nigrin. c. 2; Alex. c. 30. [2]) v. Juv. VII 226. [3]) v. A. Heinrich. l. l. p. 15. [4]) v. Luc. bis accus. § 32. [5]) v. bis accus. c. 28. [6]) v. libellum, qui inscribitur *ἀποφράς*, quo a crimine illo, quod verbum ‚*ἀποφράς*' falso usurpasse dicatur, se defendit Lucianus. [7]) l. l, p. 14.

locum scriptorem Romanum redolere, quis demonstret? Neque enim fieri potuit, quin Lucianus, si omnino Romanorum rationem habebat, raro ad eos respiceret, quippe qui in litteris in universum nihili aestimarentur. Et in usum Graecorum ille scripsit, quibus illos notos esse non constabat. Graecos respiciens, etiam nomina Romana, mores Romanos transtulit. Quod Scipionem Africanum majorem confudit cum Scipione Aemiliano minore, in hac re nemo haeret, qui etiam Horatium in sui populi historia errasse [1]) meminerit.

Etiam quod Menippus communis Horati et Luciani auctor esse dicitur, dubitandum mihi videtur. Nam aliud est, Horatium consentire aut cum Luciano aut cum Varrone, aliud, Horatium consentire aut cum Luciano et Menippo aut cum Varrone et Menippo. Non omnia enim traxerunt Lucianus et Varro ex Menippi scriptis. Itaque nisi quis unumquemque eorum locorum et Lucianeorum et Varronianorum, quos in comparationem cum Horatianis vocamus, a Menippo ortum esse demonstraverit, quod in tanta operum Menippeorum inopia demontrari omnino non potest, de Menippo quidquam ex illo consensu colligere nobis non licet.

Quod similitudines inter Varronem et Horatium indagatas non ita interpretatur, ut hunc illo usum esse dicat, vere Herm. Fritzschius facit, nam Varro ab eorum partibus stabat, qui in litteris alia [2]) eaque contraria atque Horatius sequerentur. Nonne autem hac de causa etiam parum veri simile videatur, Menippo, quem unice Varro in saturis aemulabatur, Horatium usum esse?

A. Heinrichius similitudines illas eo refert,[3]) quod Lucianus hauserit ex Horatio, ita ratiocinatus: cum graves similitudines inter Horatium et Lucianum intercedant, aut idem ambobus aut ille huic exemplo fuit; illud de Menippo quidem falsum est, ergo verum hoc. Non autem animadvertit, si non Menippum, at alios utrique exempla praebere potuisse.

---

[1]) Teuffel. ‚Gesch. d. röm. Litt.‘ § 235, 6. [2]) Ritschel, Rhn. Mus. VI 493, Bergk. com. de rel. com. At. ant. 147. [3]) Wielandum, Luc. in ling. Germ. transl. I p. 75, II p. 22, secutus.

Jam ut quid ego de hac re sentiam exponam, quin Lucianus Horatium noverit, non dubium mihi videtur; neque tamen inde sequitur, ut eum imitatus sit, quod ipsum non satis credibile videtur, propterea quod Graeci in litteris Romanos spernere solebant. Num Menippus, cuius studia supra adumbravimus, communis utriusque scriptoris fons fuerit, ipsae illae similitudines accuratius inquisitae docebunt. Tamen id praemitto, certe falsum esse, omnes illos locos aut in Fritzschiorum Hertziique modum aut in A. Heinrichi modum explicare, nam profecto multae aliae rationes patent, quibus ille consensus effici poterat; satis habeo de antiqua comoedia Attica monuisse, quam saepius sibi ante oculos fuisse uterque narrat.

Sed tandem ipsas similitudines inspiciamus, primum a Theod., deinde ab Hermanno Fritzschio, tum ab A. Heinrichio inventas. Atque primum Theod. Fritzschius has affert:

Horat. sat. I, 1, 20, 21: ‚Quid causaest, merito quin illis Juppiter ambas Iratus buccas inflet‘ et Icaromen. c. 25, ubi Juppiter, preces hominum perpendens, justas sursum per caeli fenestras admissas ad dextram reponit, ‚τὰς δ᾽ἀνοσίους ἀπράκτους αὖθις ἀπέπεμπεν ἀποφυσῶν κάτω, ἵνα μηδὲ πλησίον γένοιντο τοῦ οὐρανοῦ‘. Offendit autem in ea re, quod uterque Jovem buccas inflantem fingit. Sed hinc colligi nequit, ambos ad eundem scriptorem rediisse; immo ita illud explico, ut dicam, Horatium vulgarium dictionum studio[1]), quod lectis Graecorum comicorum fabulis auctum erat, hic indulsisse, Lucianum verbo ‚ἀποφυσᾶν‘ usum esse, quia solum aptum erat: preces enim ad Jovis aures ut flamina veniunt, quae ille, ut amoveat, ἀποφυσᾶν debet. Accedit quod in singulis multa satis dissimilia[2]) in illis locis sunt. Fortasse etiam bucconis Atellanae in mentem Horatio venerat, cuius ad speciem Jovem depingere juvit.

Horat. sat. II 6, 20: ‚Matutine pater, seu Jane libentius audis‘ et Luc. Tim. init. ‚Ὦ Ζεῦ φίλιε καὶ ξένιε καὶ ἑταιρεῖε — καὶ εἴ τι σε ἄλλο οἱ ἐμβρόντητοι ποιηταὶ καλοῦσι‘. Ne

---

[1]) sat. II 3, 33 crepare (id. ep. I 7, 84), sat. I 6, 5 naso suspendere adunco, sat. II 3, 53 caudam trahere, saepius, de quo v. Theod. Arnold. l. l. p. 28 adn. 4.

[2]) quae optime exposuit Wachsmuth. in rec. p. 198.

haec quidem similitudo gravior. Nam mos erat antiquis, compluribus nominibus deos implorare, cfr. Hom. Jl. I 37, XXIV 308, Aeschyl. Agam. 160, Catull. XXXIV 21 (v. etiam Plat. Phileb. p. 12, Xenoph. Symp. p. 522, Callim. hymn. in Dianam v. 7).

Horat. sat. I 3, 124, 125: ‚Si dives, qui sapiens est, Et sutor bonus et solus formosus et est rex' et Luc. vit. auct. c. 20 ‚ὅτι μόνος οὗτος σοφὸς, μόνος καλὸς, μόνος — βασιλεὺς — πλούσιος'. Nihil valent hi loci, quia quod exhibent dogma Stoicorum vulgare est et saepe commemoratum, a Cic. de fin. III 75, pro Mur. XXIX 61, Paradox. V, VI, a Plut. de tranq. an. 12, de abs. Stoic. opin. 3, adv. Stoic. 3, a Lucil. frgm. inc. 23 p. 85 (ed. Gerlach.), a Varrone sat. Menipp. p. 156 (ed. Ries.). Quod Horatius et Lucianus id irrident[1]), non mirum, cum uterque pro indole sua omne genus insaniae castigaverit.

Horat. sat. II 5, 68, 69: ‚invenietque Nil sibi legatum praeter plorare suisque' et Luc. dial. mort. IX 3 ‚ἄλλας δὲ τὰς ἀληθεῖς διαθήκας ἔχων, ἐκείνας κατέλιπον οἰμώζειν ἅπασι φράσας'. Quod uterque idem verbum ‚plorare' vel ‚οἰμώζειν' in eadem fabula usurpavit, equidem ita explico: illam sententiam, captatorem hereditatis spe deceptum nil nisi dolorem assecutum esse, certe de suo uterque deprompsit; et verbum ‚plorare' posuit, ut quantopere praeter spem illi evenisset, quam dilucidissime ostenderet. Ex ipsa igitur re, quam uterque tractabat, illud verbum natum esse puto, quare nos non habemus, cur unum scriptorem ab utroque expressum esse his locis opinemur.

Horat. sat. II 5, 83: ‚Ut canis a corio nunquam absterrebitur uncto' et Luc. adv. indoct. c. 25 ‚οὐδὲ γὰρ κύων ἅπαξ παύσαιτ' ἂν σκυτοτραγεῖν μαθοῦσα'. Hos locos cur ad eundem fontem revocemus, nulla omnino causa est, quoniam proverbium, alibi quoque commemoratum, exhibent. Cfr. Theocrit. idyll. X 11 ‚χαλεπὸν χορίω κύνα γεῦσαι' et Alciphron. ep. III 47 ‚οὐδὲ γὰρ κύων σκυτοτραγεῖν μαθοῦσα τῆς τέχνης ἐπιλήσεται'.

[1]) ut etiam ep. I 1, 106, 107; pisc. 35, Hermot. 16, 81.

Horat. sat. II 5 et Luc. dial. deor. XII, quamquam parodias continere Homeri Odysseae negari nequit, tamen ad Menippum revocanda esse ideo infitiandum est, quia alii quoque huiusmodi parodiis Homericis usi sunt. Scatet eis tota quae dicitur media comoedia, quam notam atque saepius exemplo utrique fuisse certum est.

Tum quod et Horatius in sat. II 5 et Lucianus in Necyomant. scurrae partes Tiresiae tribuit, Menippum sapere Theod. Fritzschius contendit, sed temere, ut mihi videtur. Certe apud Horatium ipsa res eas exegit: Horatius enim a descriptione Odyss. XI exhibita profectus in captatores suae aetatis invehi in animum induxit; Horatius saepe id secutus est, ut ridens diceret verum: nonne ut comicam personam Tiresias sumeret, facillime fieri potuit?

Horat. sat. II 5, 23—26: ‚Captes astutus ubique Testamenta senum, neu, si vafer unus et alter Insidiatorem praeroso fugerit hamo, Aut spem deponas aut artem illusus omittas‘ et Luc. Tim. c. 22 ‚*ἀληθὲς ἄγοντας τὸ πένθος, οἷος αὐτοὺς ὁ θύννος ἐκ μυχοῦ τῆς σαγήνης διέφυγεν οὐκ ὀλίγον τὸ δέλεαρ καταπιών*‘ et dial. mort. VI 4 ‚*ὁ δὲ τοσοῦτόν μοι δέλεαρ καταπιὼν ἐφειστήκει θαπτομένῳ πρῴην ἐπιγελῶν*‘. Similitudo hic in ea re apparet, quod utrobique captatorum artificium cum piscatorum arte comparatur: ab Horatio captator significatur insidiator, commemoratur hamus praerosus, fuga appellatur, quod senex elapsus est; a Luciano mentio fit senis ut thynni, qui *ἐκ μυχοῦ τῆς σαγήνης διαφυγεῖν* perhibetur *οὐκ ὀλίγον* vel *τοσοῦτον δέλεαρ καταπιών*. Sed huic similitudini cur Menippi imitationem subesse putemus, non habemus, nam locupletissimo teste Hemsterhusio[1]) saepius haec comparatio occurrit. Et Plautum eam Horatio suppeditasse arbitror, de quo disserens Ribbeckius[2]) dicit „der Erfinder einer List gleicht einem Zimmermann, Baumeister . . . Fischer; das Opfer ist eine feindliche Stadt . . .; oder der Alte . . . wird ausgeweidet wie ein Fisch. Als Beute geht er ins Netz, in die Fischreuse.“

---

1) Luc. ed. Bip. tom. II p. 440.

2) Gesch. d. röm. Dichtung, I. Dichtung d. Republik p. 123.

Horat. sat. I 3, 80: ‚Siquis eum servum, patinam qui tollere jussus Semessos pisces tepidumque ligurrierit jus, In cruce suffigat: Labeone insanior inter Sanos dicatur‘ et Luc. Prom. 10 ‚*ἀλλ' ὅμως ἐκείνων οὐκ ἔστιν ὅςτις τῷ μαγείρῳ σταυροῦ ἂν τιμήσαιτο, εἰ τὰ κρέα ἕψων καθεὶς τὸν δάκτυλον τοῦ ζωμοῦ τι περιελιχμήσατο ἢ ὀπτωμένων ἀποσπάσας τι κατεβρόχθισεν. εἰ δὲ καὶ πάνυ ὀργισθεῖεν, — ἀνεσκολοπίσθη δὲ οὐδεὶς παρ' αὐτοῖς τῶν τηλικούτων ἕνεκα*‘. Ne hic quidem cum Theod. Fritzschio facio, cum ex progressu sententiarum necessario haec verba nata esse censeam. Atque Horatio, qui cum adversus stoicorum illud ‚paria esse peccata omnia pariterque punienda‘ pugnet, parva amicorum peccata excusari vult, hoc in animo erat: si ab omnibus insani esse putatur, crudeliter vel in homines minimi pretii, qui aliquid commiserunt, invehi, quanto magis reprehendendum est, si quis amicum ob parvum aliquod delictum odit atque fugit? Hoc certe ille de suo deprompsit neque ideo quemquam ante oculos habuisse dici potest, quia paulo copiosius id descripsit. Circumspiciens igitur, quem amico opponeret, scilicet in servum, qui nihili aestimabatur, incidit, et in eum, qui in cena aliquod negotium haberet, quia inter cenandum amicum delinquentem facere constituerat. Atque eligit eum, qui cibos tollere jussus est. Jam quod ligurriens servus fingitur de piscibus et jure atque poena, qua ille a sano homine non afficiatur, crucis supplicium dicitur, nullam suspicionem movet, quia haec omnia tritissima erant. Jtaque ex ipso sententiarum progressu haec verba orta sunt; neque aliter apud Lucianum. Is enim exponit, quam injuste Juppiter Prometheum Caucaso clavis affigendum curaverit, quia ille in carnium distributione ipsi malas, sibi optimas partes exemisset, quam injuriam ut illustret, opponit, quomodo homines simili in re se gerant. Atque coqui peccatum aliquod quomodo illi accipiant, describendum sibi proponit, coqui, inquam, non pueri cibos tollere jussi. Etiam hanc imaginem eo modo institutam esse, ut coqui cuppediae, juris carnisque, crucis poenae mentio fieret, consentaneum est, cum Lucianus ea sumeret, quae saepissime viderat. Itaque non habemus, cur Horatio et Luciano alium scriptorem, nedum eundem

atque potissimum Menippum, ante oculos versatum esse opinemur, praesertim cum alii quoque scriptores similem imaginem exprimant, Epicrates (Mein. III p. 368) ‚Τί γὰρ Ἔχθιον ἢ — ὁρᾶν τε κείμενα Ἄμητας ἡμιβρῶτας ὀρνίθειά τε, Ὧν οὐδὲ λειφθέντων θέμις δούλῳ φαγεῖν, Ὥς φασιν αἱ γυναῖκες‘, Lucil. XIII, VIII (ed. Luc. Mueller.) ‚jocundasque puer qui lamberat ore placentas,‘ Juv. IX, 5 ‚nos colaphum incutimus lambenti crustula servo‘, quem versum, qui nuper Juv. sat. edidit, Buechelerus mea sententia optimo jure retinuit.

Horat. sat. II 6, 63: ‚O quando faba Pythagorae cognata‘ et Luc. gall. 18 ‚ἐκεῖνο δέ μοι εἰπέ, τί σοι ἐπῆλθε νόμον ποιήσασθαι μήτε κρεῶν μήτε κυάμων ἐσθίειν‘; [1]) Hanc similitudinem nullius momenti esse facile perspicuum est, cum illud Pythagoreorum interdictum, ad quod illi alludunt, a sexcentis scriptoribus [2]) commemoretur atque etiam derideatur.

Quoniam omnes similitudines a Theod. Fritzschio indagatas perlustravimus, nullam extare, qua eius sententia commendetur, judicare licet; nulla enim ita comparata est, ut Menippi imitationem subesse dicendum sit.

Jam similitudines, quas Hermannus Fritzschius investigavit, perscrutemur, atque primum, quae inter Varronem et Horatium intercedant, videamus.

Horat. sat. I 3, 56: ‚Sincerum cupimus vas incrustare‘ et ep. I 2, 69: ‚Quo semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu‘ et Varr. sentent. (Ries. p. 267, 58a) ‚Sapiunt vasa quicquid primum acceperunt‘. Nullam vim hanc similitudinem habere vere monet A. Heinrichius, [3]) cum ille locus Varronianus in Varronis, quae dicuntur, sententiis reperiatur, quarum nonnullae fortasse e Varronis libris fluxerint, non omnes, ut facile intellegatur, ex Varronis saturis Menippeis. [4]) Lucretio [5]), a quo multa Horatium mutuatum esse constat, eum illam comparationem pectoris humani cum vaso, quam

[1]) cfr. etiam Luc. ver. hist. II 24, vit. auct. c. 6.

[2]) de qua re v. Zelleri „D. Philos. d. Griech.“ I [4] p. 291 not. 1.

[3]) l. l. p. 9. [4]) Ries. praefat. X, cui Teuffel. „Gesch. d. röm. Litt.“ § 169, 2 assentitur. [5]) VI 17 sqq.

etiam ep. I 2, 54 adhibet, debere Weingaertnerus[1]) conicit; num probabiliter, in suspenso relinquo.

Horat. sat. I 3, 126: ‚„Non nosti, quid pater“ inquit „Chrysippus dicat: sapiens crepidas sibi nunquam Nec soleas fecit, sutor tamen est sapiens“‘ et Varr. sentent. (Ries. p. 271, 152) ‚sui dominus est, qui se philosophiae manciparit, qua nil jucundius eet.‘ Similitudo levissima est atque, etiamsi gravior esset, nihil valeret, cum hic locus Varronianus item inter Varronis sententias, quae dicuntur, sit, quae num ex eius operibus derivatae sint, ut jam diximus, incertum est.

Horat. II 2, 1: ‚Quae virtus et quanta, boni, sit vivere parvo‘ et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 217) ‚Ergo tum Romae parce pureque pudentes Vixere in patria; at nunc sumus in rutuba‘ vel (Ries. p. 120) ‚animum mitto speculatum tota urbe, ut, quid facerent homines cum experrecti sint, me facerem certiorem . . Quid vidit aliud ac convivantes in extrema noctis tempora?‘ vel (Ries. p. 169)‘ non eos optume vixisse, qui divitissime vixent, sed qui modestissime‘ vel (Ries. p. 169) ‚quid aliud est, quod Delphica canit columna literis suis ἄγαν μηθέν quam nos facere ad mortalem modum medioxime, ut quondam patres nostri loquebantur?‘ Perperam hos quoque locos Herm. Fritzschius in suum usum convertit, quippe qui vulgares praebeant sententias, quas, quicunque considerabat res Romanas, tum volvebat. Similes locos vide in adn. edit. a. h. l.

Horat. sat. II 2, 77, 78: ‚corpus onustum Hesternis vitiis‘ et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 128. XIX) ‚tu non insanis, qui tibi vino corpus corrumpis mero?‘ Ne haec quidem similitudo ullius momenti est, siquidem in eandem sententiam quivis sana mente facile incidit.

Horat. sat. II 2, 135, 136: ‚Quocirca vivite fortes Fortiaque adversis opponite pectora rebus‘ et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 137): ‚sapiens et bonum ferre potest modice et malum fortiter aut leviter‘, de quibus locis idem judicandum est, nam haec quoque sententia tam trita est, ut nihil valeat, et vox ‚fortis‘ ut usurparetur, ipsa res flagitavit.

---

[1]) ‚de Hor. Lucr. imitatore‘, diss. Hal. a. 1874 p. 31.

Horat. sat. II 2, 17, 18: ‚cum sale panis Latrantem stomachum bene leniet‘ et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 236): ‚praesertim cum ventrem meum coherceam nec murmurari patiar.‘ Haeret igitur Herm. Fritzschius in Horati ‚stomachus latrat‘ et Varronis ‚stomachus murmuratur‘, sed injuria mea sententia. Uterque enim naturam hominis describit, et peculiari quidem imagine usus describit. Neque cum Weingaertnero[1]) ad Lucreti exemplum, qui II 17 dicit ‚nil aliud sibi naturam latrare, nisi ut . .‘ Horatianum ‚latrare‘ referendum puto, praesertim cum ille id translata significatione pro ‚latrando poscere‘, hic propria, ut nos dicimus ‚bellen, knurren‘, usurpaverit.

Horat. sat. II 2, 53: ‚Sordidus a tenui victu distabit‘ et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 176): ‚dominum convivii esse oportet non tam lautum quam sine sordibus‘. Agitur autem hic de convivatoris habitu, illic de victu. Si hac de causa hos locos conectere jam dubitamus, vetamur etiam, propterea quod illa Horatiana ‚tenue non sordidum est‘, ‚tenue tantundem a luxuria, quantundem a sorde distat‘, ‚tenue aurea est mediocritas, quam sequi nos oportet‘ ex Horati ratione vivendi fluxerunt, quam non ad hunc illumve scriptorem spectans ille sibi conformavit. Vox ‚sordidus‘ autem ab utroque adhibita, quia cotidiana est, nullam suspicionem movet.

Horat. sat. II 2, 17, 18: ‚cum sale panis Latrantem stomachum bene leniet‘ et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 171, XVII) ‚hanc eandem voluptatem tacitulus taxim consequi lapatio et ptisana possum‘. Hic de aliqua similitudine vix cogitari potest, quia quae verba similitudinem efficerent, ea diversa sunt: Horatius proverbiali[2]) dictione ‚cum sale panis‘, Varro peculiari ‚lapatium et ptisana i. e. Sauerampfer und Gerstengrütze‘ utitur.

Horat. sat. II 2, 73—75: ‚at simul assis Miscueris elixa . . . Dulcia se in bilem vertent‘ et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 176): ‚bellaria ea maxime sunt mellita, quae mellita non sunt: πέμμασιν enim cum πέψει societas infida‘. Vana etiam haec similitudo est, cum illa sententia, quae ipsa non abdita est, diverse

[1]) l. l. p. 27. [2]) Plin. h. n. XXXI 89.

expressa sit: hic πέμματα i. e. Backwerk et πέψις i. e. Gekochtes, illic assa i. e. Gebratenes et elixa i. e. Gesottenes nominantur.

Horat. sat. II 3, 197, 198: ‚Mille ovium insanus morti dedit, inclitum Ulixem Et Menelaum una mecum se occidere clamans' et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 127, XVI): ‚Aiax tum credit ferro se caedere Ulixem, Cum bacchans suile incedit porcosque trucidat'. Sane utrobique eadem fabula commemoratur, sed et diversis verbis narratur, et ipsa fabula in omnium ore fuit. Nulla igitur causa est, cur hanc similitudinem Herm. Fritzschius in suum usum convertat. Quod et Varro et Horatius a Sophocle dissentientes [1]) Aiacem opinantem fingunt, se una cum ceteris ducibus Ulixem interficere, non tanti momenti esse mihi videtur, quia etiam apud Sophoclem [2]) Minerva Ulixi interroganti, cur Aiax in greges impetum fecerit, respondet ‚δοκῶν ἐν ὑμῖν χεῖρα χραίνεσθαι φόνῳ'.

Horat. sat. II 3, 81, 82: ‚doceo insanire omnes vos, ordine adite. Dandast ellebori multo pars maxima avaris' et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 128): ‚denique qui sit avarus sanus'. Etiam haec similitudo levis est. Nam illud ‚insanos esse avaros', quod auget Horatius, cum omnium, qui mente laborent, avaros maxime insanire dicit, ut nullo tempore ignotum, ita tum tritum erat, cum florerent Stoici, qui quaestioni illi, quis esset sanus, solvendae tantopere operam dabant.

Horat. sat. II 3, 121: ‚morbo jactatur eodem' et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 129): ‚morbo stimulatus eodem'. Ex versibus duobus Latinis in idem verbum exeuntibus colligere eos, qui illos scripserunt, ex eodem scriptore Graeco hausisse, audacius mihi videtur, quam ut probari possit.

Horat. sat. II 4, 93—95: ‚mihi cura Non mediocris inest, fontes ut adire remotos Atque haurire queam vitae praecepta beatae' et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 171.): ‚et hoc interest inter Epicurum et ganeones nostros, quibus modulus vitae est colina' et ‚putat fore hoc, quod his comedonibus convenit usu, quibus, mota voluptate cum edunt, dumtaxat gula gaudet'. Ubi acer-

---

[1]) Kiessling. adn. a. h. v. [2]) Ai. 42.

bitatem ironiae ad Menippum referendam esse Herm. Fritzschius putat, sed injuria. Primum enim ironiam loco Varroniano inesse omnino non video, deinde ironia sermonem perfundere omnino disci posse nego, nam qui non a natura illud tenet, nunquam tenebit. In verbis eligendis duce Lucretio, cuius versum I 927 vel IV 2: ‚iuvat integros accedere fontes Atque haurire' parodia deflexit, Horatium usum esse Weingaertnerus [1]) mihi probavit.

Horat. II 4, 33: ‚Ostrea Circeis, Miseno oriuntur echini' et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 138): ‚non posse ostrea se Romae praebere et echinos'. Eaedem deliciae culinariae hic et illic compositae nullum habent pondus, quia notissimae acceptissimaeque erant et sententiarum nexus diversus est.

Horat. sat. II 5, 103, 104: ‚est Gaudia prodentem voltum celare' et Varr. sent. (Ries. p. 265, 11): ‚sic flet heres ut puella viro nupta: utriusque fletus non apparens est risus.' Ex Varronis, quae dicuntur, sententiis hic locus sumptus ea vi, quam tribuit Herm. Fritzschius, caret. Praeterea illa sententia tam vulgaris est, ut de ulla mutuatione cogitare omnino non liceat. Heredem enim flentem, sed ita flentem, ut fletus celaret gaudia vultus, quis tum, vel quis nunc non vidit?

Horat. sat. II 6, 71 sqq.: ‚Sermo oritur, non de villis domibusve alienis, Nec male necne Lepos saltet; sed, quod magis ad nos Pertinet et nescire malumst, agitamus cet.' et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 175): ‚sermones igitur id temporis (i. e. in cenando) habendos censet non super rebus anxiis aut tortuosis, sed iucundos et invitabiles et cum quadam inlecebra et voluptate utiles, ex quibus ingenium nostrum venustius fiat et amoenius cet'. Non esse puto, cur Horati ingenio hi versus abrogentur, qui germanam Horati naturam spirent. Qui cum semper, quid esset utile, quaereret, etiam inter cenandum de rebus utilibus sermones haberi voluisse consentaneum est.

Horat. sat. I 6, 109: ‚pueri lasanum portantes oenophorumque' et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 160): ‚lecto strato

[1]) l. l. p. 23.

matellam lucernam ceterasque res esui usuique prae se portant‘. Atque nulla similitudo nisi ea hic exstat, quod uterque synonymum usurpat — Horatius ‚lasanum‘ [1]) ‚Varro ‚matella‘ —; sed haec similitudo profecto tam exigua est, ut hos locos inter se conectendos esse minime probet.

Horat. sat. I 5, 13, 14: ‚Dum aes exigitur, dum mula ligatur, Tota abit hora‘ et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 161): ‚hic in ambivio navem conscendimus palustrem, quam nautici equisones per viam (Heinrichi mutationem ‚ulvam‘ supervacaneam puto), qua ducerent, loro . . .‘. Uterque de itinere in scapha suscepto, quae trahitur mula in litore acta, dicit. Cum aliud nihil simile sit, ne huic quidem similitudini quidquam tribuendum est, idque eo minus, quod iter a se factum Horatius hic describit, in quo describendo ad ea, quae ipse vidit, eum se applicasse per se patet, etiamsi singula eum ad aliorum exemplum, ut Lucili,[2]) exornasse negari nequit.

Horat. sat. I 5, 9, 10: ‚Jam nox inducere terris Umbras et caelo diffundere signa parabat‘ et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 161): ‚Repente noctis circiter meridie, Cum pictus aër fervidis late ignibus Caeli chorean astricen ostenderet‘. Diversa noctis tempora diversis verbis hic atque illic describuntur, ita ut non habeamus, cur hos locos inter se conjungamus.

Horat. sat. I 2, 25, 26: ‚Maltinus tunicis demissis ambulat; est qui Inguen ad obscenum subductis usque facetus‘ et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 166, IV): ‚non modo suris apertis, sed paene natibus apertis ambulans, cum etiam Thais Menandri tunicam demissam habeat ad talos‘. Hos locos quamquam et rebus et verbis inter se similes esse concedo, tamen cohaerere nego. Nam quod ad illustrandam illam sententiam ‚dum vitant stulti vitia, in contraria currunt‘ etiam, quomodo corpora vestiant homines, exempli causa affert, hoc

---

[1]) sequor enim Acronem, qui quod lasanum intellegit „vas, in quo exoneratur venter“, excepto Seebodio „Scholien zu Hor.“ Goth. 1839 p. 23 omnes fere viri docti probant.

[2]) cf. Iltgen. „de Hor. Luc. aemulat.“ prog. gymn. Montabaur. a. 1872 p. 14 sqq. et Luc. Mueller., C. Lucil. sat. rel. p. XIII.

certe Horatius nullius exemplum secutus affert. Hoc autem concesso, concidit verborum similitudo, quam exsistere necesse fuit, si usitatis verbis Horatius sententiam suam expressit. Manet igitur id modo, quod et Horatius et Varro illam sententiam, brevioribus tunicis nonnullos uti, comice augent. Sed ne hoc quidem quidquam referre puto, cum saepius[1]), ut in Tigelli descriptione[2]), hanc irridendi risumque movendi viam Horatius ingressus sit.

Horat. carm. IV 12, 1—6: ‚Jam veris comites, quae mare temperant, Impellunt animae lintea Thraciae; Jam nec prata rigent, nec fluvii strepunt Hiberna nive turgidi. Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens, Infelix avis‘ et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 240, XIII): ‚ver blandum viget arvis, adest hospes hirundo‘. Praeterquam quod utrobique hirundinis, ut veris nuntiae, mentio fit, nulla similitudo inter has veris descriptiones intercedit. Haec una autem per se nihil valet, cum saepius[3]) eum in modum hirundo adhibeatur. Neque profecto ex Menippo[4]) cynico hanc suavem lepidamque veris descriptionem haustam esse dicemus.

Horat. ep. I 2, 47—49: ‚Non domus et fundus, non aeris acervus et auri Aegroto domini deduxit corpore febres, Non animo curas‘ et Varr. sat. Menipp. (Ries. p. 103): ‚Non fit thensauris, non auro pectu' solutum: Non demunt animis curas ac relligiones Persarum montes, non atria diviti 'Crassi‘. Atque illa sententia, cum externa bona possideamus, non beatiores nos fieri, ita plane Horatiana est, ut in omnibus fere carminibus saepissime repetatur[5]). Quae quod uberius explicatur, mirum non est, neque aliter ea explicari potuit nisi ita, ut aurum commemoraretur, quod hominum curas non tolleret. In his solis verbis autem, auro et cura, Varro et Horatius consentiunt, quare nihil omnino est, cur affines hos locos du-

---

[1]) cf. Theod. Oesterlen. ‚Studien zu Verg. u. Hor.‘ Tubingae 1885, p. 50—70 ‚der Humor bei Hor.‘ [2]) sat. I 3 init.

[3]) v. ed., inprimis Mitscherlichi, adn. a. h. l.

[4]) Theod. Arnold. l. l. p. 14 adn. 1 dicit ‚die Frühlingsschilderung, carm. IV 12, 1 sqq., erscheint als Sammelplatz der gewähltest. alexandr. Ideen üb. dies Sujet‘. [5]) v. Fr. E. Th. Schmidi adn. a. h. l.

camus. Cf. etiam Tibull. III 3, 21: ,Non opibus mentes hominum curaeque levantur'. Sed de Lucreti v. II, 34—36: ,Nec calidae citius decedunt corpore febres, Textilibus si in picturis ostroque rubenti Jacteris, quam si in plebeia veste cubandum est' Horatium cogitasse magis placet [1]), quod similia enuntiata ,febres deducere corpore' et ,febres decedunt corpore' flagitare videntur.

Has inter Varronem et Horatium similitudines Herm. Fritzschius affert: leves eas esse neque sufficere, ut Horatium cum Varrone et Menippo conectamus, vidimus. Alterum igitur Herm. Fritzschi argumentum corruit, qua ex re quid de tota eius sententia judicanda sequatur, elucet: etenim si usus esset Horatius Menippo, graves similitudines inter Horatium et Varronem exstare necesse esset. [2]) Verumtamen alterum argumentum, similitudines inter Horatium et Lucianum investigatas, inspiciamus, ita tamen ut neglegamus, quas et ipse Herm. Fritzschius non tanti aestimat et nos, cum de Theod. Fritzschio disputaremus, vanas esse jam intelleximus. His igitur ille nititur locis:

Horat. sat. I 4, 1: ,Eupolis atque Cratinus Aristophanesque', Luc. bis accus. 33 *,τὸν Εὔπολιν καὶ τὸν Ἀριστοφάνην'*, cfr. etiam pisc. 25. Totiens [3]) Eupolis et Aristophanes tamquam nobilissimi comoediae Atticae antiquae auctores componuntur, ut haec similitudo nullam praebeat causam, cur ex eodem fonte illos hausisse opinemur.

Horat. sat. I, 8, 26—28: ,Scalpere terram Unguibus et pullam divellere mordicus agnam Coeperunt; cruor in fossam confusus' et Luc. Menipp. 9 *,βόθρον τε ὠρυξάμεθα καὶ τὰ μῆλα ἐσφάξαμεν καὶ τὸ αἷμα περὶ αὐτὸν ἐσπείσαμεν'*;

Horat. sat. I 8, 33, 34: ,Hecaten vocat altera, saevam Altera Tisiphonen' et Luc. Menipp. 9 *,ὁ δὲ μάγος ἐν τοσούτῳ δᾷδα καομένην ἔχων παμμέγεθες, ὡς οἷός τε ἦν, ἀνακραγὼν δαίμονάς τε ὁμοῦ πάντας ἐπεβοᾶτο καὶ Ποινὰς καὶ Ἐρινύαςκ αἱ νυχίαν Ἑκάτην καὶ ἐπαινὴν Περσεφόνειαν'*;

[1]) hoc Weingaertner. l. l. p. 17 opinatur.

[2]) ita etiam A. Heinrichius l. l. p. 10 ratiocinatur.

[3]) ipse Herm. Fritzschius in adn. a. h. l. exempla cumulat.

Horat. I 8, 34, 35: ‚serpentes atque videres Infernas errare canes‘ et Luc. Menipp. 10 ‚εὐθὺς οὖν ἅπαντα ἐκεῖνα ἐσαλεύετο καὶ ὑπὸ τῆς ἐπῳδῆς τοὔδαφος ἀνεῤῥήγνυτο καὶ ἡ ὑλακὴ τοῦ κερβέρου πόῤῥωθεν ἠκούετο καὶ τὸ πρᾶγμα ὑπερκατηφὲς ἦν καὶ σκυθρωπόν‘;

Horat. sat. I 8, 35, 36: ‚Lunamque rubentem Ne foret his testis, post magna latere sepulchra‘ et Luc. Icaromenipp. 21, Σελήνη· ‚κἄν τινα ἴδω αὐτῶν μοιχεύοντα ἢ κλέπτοντα —, εὐθὺς ἐπισπασαμένη τὸ νέφος ἐνεκαλυψάμην, ἵνα μὴ δείξω τοῖς πολλοῖς γέροντας ἄνδρας βαθεῖ πώγωνι καὶ ἀρετῇ ἐνασχημονοῦντας“, quae similitudines cum in eisdem Horati et Luciani scriptis inveniantur, magnam vim iis tribuit Fritzschius.

Atque illi loci primo loco inter se comparati nihil demonstrant, cum exhibeant, quae inter usitatas[1]) magiae caerimonias sint, idque eo magis, quia diverso modo sunt exornati: Horatius verbis horridae notionis electis diram imaginis formam auget, Lucianus, quae sint parata, simpliciter refert.

Qui sequuntur loci hanc offensionem praebent, quod ut Lucianus Hecaten et Furias, ita Horatius Hecaten et Tisiphonen, unam e Furiis, invocari fingit, cum in ceteris[2]) carminibus magicis, quamvis Hecate imploretur, non addatur Furiarum invocatio. Sed ne hoc quidem gravioris momenti est, cum Lucianus ‚δαίμονας ὁμοῦ πάντας‘, qui in talibus sacrificiis invocari poterant, ‚καὶ Ποινὰς καὶ Ἐριννύας καὶ Ἑκάτην καὶ Περσεφόνειαν‘ hic enumeraverit. Itaque si Horatius, quod non mirum est, praeter Hecaten alteram deam nominare constituerat, eandem, quam Lucianus nominaverat, ipsum quoque nominare necesse erat.

Etiam quos deinde componit locos, iniuria Herm. Fritzschius in suum usum convertit. Ubicunque[3]) enim poetae effectum carminis magici et deae imploratae adventum describunt, easdem rationes eademque verba, quibus Horatius et Lucianus usi sunt, adhibent. Itaque certam quandam normam illius imaginis exor-

[1]) cf. Hom. Od. XI 35, 36, de la Cerda ad Verg. Aen. VI 243.
[2]) Theocr. II 12, Verg. Aen. IV 511, VI 246, Ov. Met. VII 194.
[3]) Theocr. II. 35, Verg. Aen. VI 256, Ov. Met. XIV 410.

nandae fuisse apparet, ad quam omnes, si res poscebat, se applicabant.

De ultima similitudine haec dico: si illa sententia, quod luna, quia scelerum humanorum eam pudeat, se abscondere dicitur, apud Lucianum in eodem atque apud Horatium conexu occurreret, fieri non posset, quin Herm. Fritzschi sententiae nos addiceremus. Sed cum alio in conexu, ad alias res atque personas translata ea reperiatur, non est, cur ei assentiamur. Immo de suo Horatium eam deprompsisse arbitror, quae tam dilucide ingenium eius prae se ferat. Nam ut erat facetus, ut Orelli verbis utar, facete hic quoque, ut ostenderet Canidiam peiorem et magis abominabilem ceteris veneficis, quibus alias adesse solet Luna, finxit eam propter pudorem sese abdidisse.

Singulae igitur illae similitudines nihil valent, neque plus cumulatae, cum omnes ad rem magicam pertineant, cuius rei apparatus ab Homero erat certissime constitutus. Quod psychomantiam omnino perstrinxit, ne huius quidem rei exemplo Horatius egebat, quia tales artes illis[1]) temporibus maxime florentes bilem eius movere necesse erat.

Horat. Sat. I 1, 68—71: ‚Tantalus a labris sitiens fugientia captat Flumina — quid rides? Mutato nomine de te Fabula narratur: congestis undique saccis Indormis inhians‘ et Luc. Tim. 18 ‚*διδόασι* (sc. avari) *τὴν δίκην ὥσπερ ὁ Τάνταλος ἄποτοι καὶ ἄγευστοι καὶ ξηροὶ τὸ στόμα, ἐπικεχηνότες μόνον τῷ χρυσίῳ*‘ et Luc. Char. 15 ‚*αἱ ἐλπίδες ἀναπτάμεναι οἴχονται, κεχηνότας αὐτοὺς ἀπολιποῦσαι, ὅπερ καὶ τὸν Τάνταλον κάτω πάσχοντα ὁρᾷς ὑπὸ τοῦ ὕδατος*‘. Quos locos ut inter se conjungat, duabus causis Herm. Fritzschius movetur, primum quod utroque loco dives cum Tantalo comparatur, deinde quod inhians ille perhibetur, sed earum rerum neutra ita comparata est, ut a communi auctore descriptionem petitam esse probet. Etenim Tantali fabula de avaris usurpata omnibus praesto erat, postquam philosophi, in primis Teles[2]) Pythagoreus, Tantalum ut imaginem cupiditatis non explendae quasi san-

[1]) teste Cic. Tusc. I 16, de divinat. I 132, in Vatin. 6, 14.

[2]) Stob. 97, 31; cf. Orelli et Kiesslingi adn. a. h. l.

xerunt; atque verbum, inhiare' de avaro dictum inculcabatur et imagine Tantali, quae paulo ante adhibetur, et vi sua, qua solum[1]) totam expleret sententiam, atque inculcabatur eo vehementius, quo usitatius[2]) utrique erat. Accedit, quod Horatius vocabulorum significanter dictorum studium[3]) haud scio an e comoedia Attica antiqua ceperit.

Horati sat. II 5 et Luciani dialogum[4]), qui inscribitur Menippus, et tota compositione et singulis quibusdam rebus congruere Herm. Fritzschius contendit. Atque ut primum compositionem examinemus, sane ut hic Menippum, ita ille Ulixem a Tiresia apud inferos consilium petentem inducit, uterque de alia re, atque Homerus Ulixem. Sed hoc indicium esse, ambos idem exemplum sibi proposuisse nego. Nam licet Lucianus ad Menippum[5]) recurrerit, Horatius ipsa Homeri Necyomantia motus illam saturam composuisse dici potest, cuius rei locupletissimus testis est Schillerus, qui ad Goethium scripsit haec[6]): „Ich habe dieser Tage den Homer zur Hand genommen und . . . . . in der Nekyomantie eine prächtige Quelle von Parodien entdeckt, um die verstorbenen Autoren und hie und da auch die lebenden zu plagen. Denken Sie auf eine Introduction Newtons in der Unterwelt . . . Beim Schlusse denke ich geben wir noch eine Komödie in Epigrammen," quod eum etiam perfecisse notum est. Atque Timonem subesse Th. Arnold.[7]) opinatur. Et fieri poterat, ut a Pindaro, Sophocle, Theocrito, aliis, qui Tiresiam de quavis re a quovis

---

[1]) cf. inprimis Kirchneri (Stralsund. 1829) adn. a. h. l.: ,inhiare bezeichnet den körperlichen Ausdruck der Begierde' et Taubmann. ad Plaut. Tri. 1, 2, 132.

[2]) de Horatio eo utente v. Zangemeisteri ind. in ed. Bentl.; Lucianus eo utitur de merc. cond. 3, pisc. 34, imag. 1, dial. mort. V 1, VI 3 saepius.

[3]) ventri bellum indicere sat. I 5, 8, repere v. 25, curtus sat. I 6, 104, defricare sat. I 10, 4. al. cf. Arnold. l. l. I 37.

[4]) quem genuinum esse nuper Prellerus, encyc. rer. IV p. 1175, et Fritzschius, ed. Luc. prol. III² p. LVI, demonstraverunt.

[5]) ut jam Casaubonus de satyr. poes. p. 206 ed. Ramb. coniecit.

[6]) cfr. Wachsmuth., sillograph. Graec. ed. prior p. 16, ed. alt. p. 40.

[7]) l. l. I 6; 26.

consuli fingunt [1]), ad Homeri Necyomantiam ille adduceretur. Fortasse etiam mimographis illam fictionem Horatius debuit, quorum Necyomantiae [2]), certe ad Homeri Necyomantiam compositae, haud scio an ad hanc sententiam eum adducere potuerint, ut ipse quoque Homeri Necyomantiam imitandam sibi sumeret. Praeterea ne in comoediis quidem comicorum Atticorum antiquorum defuerunt eiusmodi fabulae, quae exemplo Horatio illam saturam conscribenti esse potuerunt. Commemoro cum Cratini Necyomantias,[3]) tum Pherecratis *κραπάταλοι.* Et ut hanc comoediam exemplum ei praebuisse suspicemur, praecipua causa movemur. Si enim verum de eius argumento Hemsterhusius [4]) conjecit, ‚Pherecratem hac fabula quietam inferorum vitam descripsisse, ubi omnia pacata agerentur, tantusque opum contemptus esset, ut crapatalus summae quae apud eos valuerit monetae pretium efficeret', mira quaedam ratio inter hanc comoediam et Horatianam saturam intercedit: hic prima Ulixis verba ‚Hoc quoque, Tiresia, . . . Responde, quibus amissas reparare queam res Artibus atque modis', illic summa sententiarum ‚apud inferos nulla divitiarum cupido; omnia pacata aguntur'. Tamen num revera haec comoedia aut aliqua earum rerum ‚quas commemoravi, in causa fuerit, cur eam in formam Horatius saturam suam redigeret, in suspenso relinquo; satis habeo comprobavisse, non tam singulares Menippi, Horati, Luciani Necyomantias esse, ut necessario inter se conectendae sint. Itaque similitudine compositionis, quae est inter Horat. sat. II 5 et Luc. Necyomantiam, Herm. Fritzschi sententia [5]) non defenditur. Neque magis defenditur partium quarundam similitudine. In universum certe ea opera valde inter se discrepare praemoneo: Horatius enim, cum

---

[1]) Pind. Nem. I 60, Soph. in O. R. et Ant., Theocr. XXIV, 64, de qua re cf. F. J. Schellium, *Τειρεσίας ὁ προφήτης*, 17. suppl. annal. Jahn. (a. 1851) p. 54—100, et Jaecel. ‚das Teiresiasorakel' (Wissenschaftl. Abhandlg. 77), quem libellum inspicere magno cum dolore meo non licuit.

[2]) v. Teuffel, Gesch. d. röm. Litt. § 8, 5.

[3]) cf. Ribbeck. l. l. p. 224.

[4]) ad Polluc. IX 83, v. etiam Meinekium com. I p. 85.

[5]) ad Menippi exemplum sat. Horat. scriptam esse etiam Erw. Rohdius „d. griech. Roman" p. 261 adn. et Kiesslingius praef. ad sat. Horat. probant.

Tiresiam Ulixi, qui interrogavit, quomodo ditescere posset, respondentem facit, senum testamenta captanda esse, et captatoria artificia aperientem, in captatores invehitur; Lucianus et descriptione itineris Menippei ad inferos hominum commenta de inferis irridet divitesque potissimum ac potentes increpat et Tiresiae praecepto de optima vivendi ratione superbiam litteratorum hominum illudit. Sed videamus, quas similitudines Herm. Fritzschius detexerit: v. 25 ,Insidiatorem praeroso fugerit hamo' et Luc. dial. mort. VI 4 ,ὁ δὲ τοσοῦτόν μοι δέλεαρ καταπιὼν ἐφειστήκει θαπτομένῳ πρῴην ἐπιγελῶν; v. 44 ,Plures adnabunt thynni et cetaria crescent' et Luc. Tim. 22 ,τοὺς μάτην κεχηνότας ἐκείνους ἐς ἀλλήλους ἀποβλέποντας καταλιπὼν ἀληθὲς ἄγοντας τὸ πένθος, οἷος αὐτοὺς ὁ θύννος ἐκ μυχοῦ τῆς σαγήνης διέφυγεν οὐκ ὀλίγον τὸ δέλεαρ καταπιών'. Atque quoniam illam similitudinem nullam vim habere jam intelleximus, hanc inspiciamus. Qui fit, ut ipsos thynnos Horatius commemoret? Equidem respondeo, quia thynni commemorati soli id, quod Horatio in animo erat, explebant. Thynni enim soli notorum piscium catervatim et celeriter natant[1]); Horatius autem hoc sensit ,si haec praecepta secutus eris, maxime tibi proderis, plures senes tibi conciliabis, qui item celeriter alios adducent'. Qua de causa etiam apud Herodotum[2]) est ,Ἔῤῥιπται ὁ βόλος, τὸ δὲ δίκτυον ἐκπεπέτασται, Θύννοι δ' οἰμήσουσι σεληναίης διὰ νυκτός'. Neque vero mentio cetariorum et σαγήνης vim huius similitudinis auget, nam diversa haec verba significant; cetaria auctore schol. Cruq. ,loca iuxta lacum, ubi cete, thynni et alii pisces capti saliuntur', σαγήνη ,rete quoddam magnum'. Itaque cum ne in singulis quidem memorabiles similitudines sint, nos non habere, cur ad Menippi auctoritatem Horat. sat. II 5 scriptam esse existimemus, apparet. Hac autem similitudine inter Horat. sat. II 5 et Luciani Menippum examinata, ad finem earum, quas Herm. Fritzschius in medium protulit, jam pervenimus: itaque ne ei quidem, quamvis magnam operam impenderit, contigisse, ut sententiam suam, Horatium usum esse Menippo, probaret, judicare licet.

---

[1]) cfr. Oppian. Hal. III 631. [2]) I 64.

Restat, ut similitudines ab Heinrichio allatas perscrutemur. Quas quamquam ille eo consilio attulit, ut Horatio Lucianum usum esse demonstraret, tamen nobis neglegendas non esse puto, quia fieri potest, ut harum in numero aliqua sit, quae ad Menippum nos revocet. Omissis igitur iis rebus, de quibus jam dictum est, hae supersunt:

Horat. sat. I 3, 25: ‚Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis‘, Luc. Tim. 2 de Jove, qui tam diu hominum maleficia impunita esse sinat, ‚λημᾷς καὶ ἀμβλυώττεις πρὸς τὰ γιγνόμενα‘. Jocosae elocutioni ‚lippus es‘ pro simplici ‚non vides‘, ab utroque usurpatae, nihil tribuendum est, quia omnium comicorum et satiricorum ea propria est. Cfr. Aristoph. nub. 327, Pers. I 79, Luc. adv. indoct. 23. Atque Horatio eo facilius haec lippi imago in mentem venire poterat, quia ipse lippitudine affectus erat. Quod Kiesslingius ad h. l. adnotat, Horatium versus comici Graeci cuiusdam a Plutarcho π. πολυπραγμ. 1, π. εὐθυμίας 8 allatos ‚τί τἀλλότριον, ἄνθρωπε βασκανώτατε, κακὸν ὀξυδορκεῖς, τὸ δ'ἴδιον παραβλέπεις‘ vertisse, ego non probo. Nam consensus, praeterquam quod verba ‚ὀξυδορκεῖν‘ et ‚acutum cernere‘, quae ipsa res postulabat, inter se respondent, in sententia modo inest, quae Horatio ipsa vita suppeditante nota erat.

Horat. sat. II 2, 98, 99: ‚derit egenti As, laquei pretium‘, Luc. Tim. 20 ‚εἰπεῖν ἔχοιμι ... οὐδὲ ὄβολον, ὥςτε πρίασθαι βρόχον, ἐσχηκότας‘. Proverbiale enuntiatum a duobus scriptoribus adhibitum ex eodem fonte eos hausisse non indicat. Ad illud Plautus Pseud. I 1, 88 alludit.

Horat. sat. II 3, 96—98: ‚quas (sc. divitias) qui construxerit, ille Clarus erit, fortis, justus. ‚Sapiensne?‘ Etiam, et rex et quidquid volet‘, Luc. Tim. 51 ‚καὶ γὰρ ῥήτωρ ἄριστος ὁ Τίμων καὶ τὰ ἄλλα πάντα ὁπόσα ἂν ἐθέλῃ‘. Additamenta haec hyperbolice dicta cotidie usurpantur, quare similitudo, in iis posita, nullius momenti est.

Horat. a. p. 304: ‚Nil tantist‘, i. e. si laudem poetae nulla re acquirere possum, nisi mentis sanitate impensa, non cupio, repudio. Luc. ‚quomodo historia sit conscribenda‘, ubi Diogenes, cum omnes Corinthii bellum contra Philippum

summo cum studio pararent, ne solus otiosus inter tot occupatos videretur, palliolo succincto dolium, in quo habitaret, sursum deorsum in Cranio studiose volvisse narratur. Atque similitudo in ea re est, quod Horatius et Diogenes, ceteris insanientibus, sanos et sapientes se praestant; ex hac autem concludere, affinitatem quandam inter Horatium et Lucianum intercedere, plane ineptum est.

Horat. a. p. 304 et 306: ‚Ergo fungar vice cotis', ‚Munus et officium, nil scribens ipse, docebo', Lucian. ‚quomodo historia sit conscribenda' init., ubi Lucianus cum Diogene se conferens, ne solus mutus in tanta omnium garrulitate esset, se quoque, quantum posset, dolium suum volvere aptum duxisse dicit, non ita ut historiam, sicut ceteri, conscriberet, *οὐχ οὕτω μεγαλότολμος ἐγὼ* . . . ., sed *παραίνεσιν δέ τινα μικρὰν καὶ ὑποθήκας ταύτας ὀλίγας ὑποθήσομαι τοῖς συγγράφουσιν, ὡς κοινωνήσαιμι αὐτοῖς τῆς οἰκοδομίας, εἰ καὶ μὴ τῆς ἐπιγραφῆς.* Sane uterque id unum se secuturum esse dicit, ut aliis, quid faciendum sit, praescribat; sed hac in re eos consentire necesse erat, cum uterque rationem artis cuiusdam exponere instituisset.

Horat. a. p. 139: ‚Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus', Luc. ibid. 23 ‚*Ὤδινεν ὄρος* (*Ζεὺς δ' ἐφοβεῖτο, τὸ δ' ἔτεκεν μῦν*', ut totus est versus apud Athen. XIV. p. 616 d). Haeremus ea in re, quod uterque hoc proverbium in eam sententiam convertit, ut moneat, ne prooemium splendidum sit atque magnificum, cum ipsa argumenti tractatio sit vilis et pusilla. Menippum autem huius usus auctorem fuisse ideo credi nequit, quia ei usui, si modo verisimilia computamus, locum non praebet Menippi imago, quam supra conformavimus. Neque quemquam illis hunc proverbii usum suppeditasse puto, sed utrumque suo ipsius amore[1]) proverbiorum ad eum ductum esse existimo.

Horat. a. p. 86: ‚Descriptas servare vices operumque colores', Luc. ibid. 23 ‚*χρὴ* . . . . *ὅμοια τὰ πάντα καὶ ὁμόχροα εἶναι*'. Nihil hi loci valent, cum color frequentissimo usu de oratione translate dicatur[2]).

[1]) de Luc. amore proverbiorum cf. Sommerbrodt. praef. ed. Luc. p. XXVI. et ind. ed. Jacobitz. et Bipont. s. v. ‚proverbia'.

[2]) v. cum manualia, quae vulgo usurpantur, tum ind. Cic. et Quintil. atque Ernesti techn. Graec. rhet. s. v. *χρῶμα*.

Horat. a. p. 225—250, qui versus de dramate satyrico sunt, Luc. ibid. 44, 45, 46, ubi praecepta dantur, qua oratione rerum scriptor uti debeat. Et argumenta horum locorum ea in re concinunt, quod sermonem medium, qui tantum a sublimi, quantum ab humili absit, raro imagines usurpandas esse uterque docet. Sed hic consensus levis est, quippe quem ipsa res, quam uterque tractabat, per se efficiebat. Neque gravior in verbis conspicitur similitudo. Nam sermonem abiectum et humilem eum dicere, qui in tabernis, *ἐν καπηλείοις*, aut in triviis, *οἷα ἐκ τριόδου* (apud Luc. ibid. c. 16), audiretur, usitatissimum erat. Atque etiamsi gravior quaedam similitudo, quae ad communem aliquem auctorem referenda esset, inter hos locos intercederet, de Menippo non cogitandum esset, quem a quaestionibus his locis institutis alienum fuisse verisimillimum est.

Horat. a. p. 372—78: ‚mediocribus esse poetis Non homines, non di, non concessere columnae. Ut gratas inter mensas symphonia discors Et crassum unguentum et Sardo cum melle papaver Offendunt . . . . . .: Sic . . . poema., Si paullum summo decessit, vergit ad imum‘, Luc ibid. 56: cum rerum copia est, celeritate in narrando opus est; quin etiam multa omitti possunt, ut etiam in convivio, cum conquisitissimae epulae paratae sint, non viles amicus amico apponit. De his locis idem dicendum est: sane uterque ex cena eiusque apparatu petit aliquid, quo praeceptum suum ad scriptum quoddam pertinens illustret; sed sine momento hoc esse, Cicero, Quintilianus I 2, 14, VI 3, 14, X 1, 58, alii testantur. Et etiamsi gravioris momenti hoc esset, ambobusque idem exemplar vindicandum esset, cur Menippum potissimum auctorem fuisse diceremus, non haberemus, quem talis comparationis instituendae occasionem non habuisse certum est.

Horat. ep. I, 4, 9: ‚qui sapere et fari possit quae sentiat‘, Luc. ibid. 37 ‚*καὶ τοίνυν καὶ ἡμῖν τοιοῦτός τις ὁ μαθητὴς νῦν παραδεδόσθω, συνεῖναί τε καὶ εἰπεῖν οὐκ ἀγεννής*‘. Hac ex similitudine concludere Menippo Horatium usum esse, ideo probandum non est, quia verba, quibus Lucianus usus est, ea, quae antea disseruerat, breviter comprehendunt. Horatio ita scribenti si omnio alius auctoris exemplum supponendum est,

Themistoclis verborum apud Thucyd. II 60 ,οὐδενὸς οἴομαι ἥσσων εἶναι γνῶναί τε τὰ δέοντα καὶ ἑρμηνεῦσαι ταῦτα' in mentem venire potuit, quae etiam Luciano nota fuisse de saltat. c. 36 et rhetor. praecept. c. 1 demonstrant.

Horat. sat. II 55—57: ,Plerumque recoctus Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem Captatorque dabit risus Nasica Corano', Luc. dialog. mort. V 1 ,ὁ μὲν (i. e. ὁ πλούσιος Εὐκράτης) ἔστω ἀθάνατος, οἱ δὲ (i. e. οἱ τὸν κλῆρον θηρῶντες) προαπίτωσαν αὐτοῦ μάτην ἐπιχανόντες', ad quod Mercurius ,γελοῖα πείσονται, πανοῦργοι ὄντες'. Quod utrobique verbum ,inhiare' de captatore usurpatur, A. Heinrichio suspicionem movet, ut utrumque eodem auctore usum esse credat, sed sine justa causa. Nam apud Horatium inde illud exsistit, quod longius persequitur fabulam, quam, corvi mentione facta, inchoavit. Praeterea hunc illius verbi usum omnino non insolitum fuisse, ex Plaut. Stich. IV 2,25 et mil. glor. III 1, 121 elucet.

Horat. sat. I 1, 9, 10: ,Agricolam laudat juris legumque peritus, Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat', Luc. de merc. cond. 30: ,ὑπὸ δ' ᾠδὴν ἀλεκτρυόνων ἀνεγρόμενος, „ὢ δείλαιος ἐγώ" φῄς'. De alia persona hic atque illic agitur, quare quo jure ambo loci ex communi fonte fluxisse dicantur, intellegi nequit. Potius ita res se habet, ut per se et Horatius et Lucianus eo venerint, ut incommodum mane surgendi commemorarent. Atque Horatius hoc ipsum commemorat, quia ipse aegerrime id ferebat[1]); Lucianus id commemorat, quia omnia vitae docti hominis mercede conducti incommoda enumerat. Ut Lucianus, ita Horatius haud scio an comoediam Atticam antiquam imitatus[2]) hyperbolice ,sub galli cantum' dixerit, sicut etiam sat. I 6, 42, 43 ,plostra ducenta — tria funera', sat. I 5, 3 ,Graecorum longe doctissimus', aliud hyperbolice dixit.

Horat. sat. II 5, 74, 75: ,Scribet mala carmina vecors: Laudato', Luc. ibid. 35 ,ἢν δὲ ποιητικὸς ἢ συγγραφικὸς ὁ πλούσιος ᾖ καὶ παρὰ τὸ δεῖπνον τὰ αὐτοῦ ῥαψῳδῇ, τότε καὶ μάλιστα διαῤῥαγῆναι χρὴ ἐπαινοῦντα. Talis[3]) rei observandae occasionem

[1]) sat. I 6, 120, 122.
[2]) cfr. Theod. Arnold. l. l. p. 36.
[3]) cfr. Martial. III. 50; XII, 40.

vita saepissime praebebat; quare non habemus, cur Horatium et Lucianum haec scribentes inter se conectamus, idque eo minus, quod verba, quibus utuntur, valde inter se discrepant: ille simpliciter, quod vidit, refert, hic verbo *διαῤῥήγνυσθαι*[1]) adhibito comice sententiam exaggerat.

Horat. sat. I 1, 111 et 112 (Illuc, unde abii, redeo, qui nemo, ut avarus, Se probet . . .) ‚neque se maiori pauperiorum Turbae comparet', Luc. Char. 17 ‚*ἀλλὰ τὸ αἴτιον, ὅτι τὸν μὲν εὐτυχοῦντα ἐπὶ τῷ παιδὶ ἐκεῖνον ὁρᾷ . . . . τὸν γείτονα δὲ τὸν ἐκκομίζοντα τὸ παιδίον οὐχ ὁρᾷ*'. Ne haec quidem similitudo maiorem habet vim. Nam illa sententia, homines se suaque omnia ex divitum feliciumque, non pauperum infeliciumque rebus metiri solere, non insolita est et saepius[2]) dicta.

Horat. sat. II 2, 129—132: ‚propriae telluris erum natura nec illum Nec me nec quemquam statuit; nos expulit ille; Illum aut nequities aut vafri inscitia iuris, Postremum expellet certe vivacior heres', Luc. ibid. 20 ‚*ἀνάγκη αὐτὸν μὲν γυμνὸν οἴχεσθαι, τὴν οἰκίαν δὲ καὶ τὸν ἀγρὸν καὶ τὸ χρυσίον ἀεὶ ἄλλων εἶναι καὶ μεταβάλλειν τοὺς δεσπότας*'. Haec quoque sententia tam frequens[3]) atque trita est, ut ex eodem fonte Horatium et Lucianum eam hausisse contendere non possimus.

Horat. sat. I 3, 90—94: ‚Comminxit lectum potus mensave catillum Euandri manibus tritum deiecit: ob hanc rem, Aut positum ante mea quia pullum in parte catini Sustulit esuriens, minus hoc jucundus amicus Sit mihi? Quid faciam, si furtum fecerit?', Luc. Prom. c. 8: ‚*καίτοι τάς γε ἀπάτας, ὦ Ἑρμῆ, τὰς τοιαύτας συμποτικὰς οὔσας οὐ χρή, οἶμαι, ἀπομνημονεύειν, ἀλλ' εἰ καί τι ἡμάρτηται μεταξὺ εὐωχουμένων, παιδιὰν ἡγεῖσθαι*', c. 9 ‚*ἢ τί γὰρ ἂν ἐποίησεν οὗτος ὅλον βοῦν ἀπολέσας, εἰ κρεῶν ὀλίγων ἕνεκα τηλικαῦτα ὀργίζεται;*' Atque certe Lucianus cur his locis alius scriptoris exemplum secutus esse dicatur, non est, nam haec argumenta eum afferre necesse erat, qui undique

---

1) saepius id occurrit apud Aristoph.; cfr. Dunbar, concordance to the comedies and fragments of Aristoph.

2) cfr. Plutarch. *περὶ εὐθυμίας* 10.

3) qui alios huius modi locos desiderat, editores Horatianos et Lucianeos adeat, qui multa exempla a. h. l. adnotaverunt.

argumenta conquireret, quibus Promethea a Jovis criminibus defenderet. Tum vero omnis causa, cur Horatio Menippum ante oculos obversatum esse opinemur, concidit. Praeterea hunc Horatianum locum omnino tam singularem esse, ut ullam imitationis suspicionem moveat, nego. Cuius rei testimonium est poeticum illud ‚*μισῶ μνάμονα συμπόταν*‘ a Luciano conv. 3 [1]) traditum.

Horat. II 3, 253—257: ‚faciasne quod olim Mutatus Polemon? ponas insignia morbi, . . . potus ut ille Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas, Postquamst inpransi correptus voce magistri?‘, Luc. bis accus. 16 ‚*κατ᾽ ὀλίγον . . . . ἀνένηφε* (sc. *ὁ Πολέμων*) *πρὸς τοὺς λόγους καὶ ἀφαιρεῖται τοὺς στεφάνους*‘. Adnotat autem A. Heinrichius, se ea quidem re, quod omnino mentio fieret ab Horatio et Luciano huius Polemonis fabellae, non commotum esse, ut affinitatem quandam inter illos intercedere putaret. Quod recte dicit, nam notissima illa est saepissimeque prodita, a Valer. Maxim. VI 9 ext. 1, a Plutarch. de adulat. et amico 32, ab Arriano Epictet. diss. III 1, 14, IV, 11, 30, a Diog. Laert. IV 3, 1 sq., ab Origene contra Celsum I 64, III 67, a Themistio orat. XXIV p. 303 [2]). Sed verba, quibus ea ab ambobus narrata est, A. Heinrichio illam suspicionem moverunt. Quamquam ne haec quidem ita comparata sunt. Nam illud ‚voce magistri correptus coronas ex collo carpsit‘, ‚*ἀνένηφε πρὸς τοὺς λόγους καὶ ἀφαιρεῖται τοὺς στεφάνους*‘, cum ipsa hac narratione contextum est, quod refert etiam Valer. Maximus VI 9, 1 ‚coronam capite detractam proiecit‘. Itaque his quoque locis A. Heinrichius nimiam vim tribuit.

Horat. sat. I 10, 71: ‚Saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues‘, Luc. dialog. deor. XXII 1 ‚*τί δακὼν τὸν δάκτυλον ζητεῖς καὶ ἐπὶ πολὺ ἀπορεῖς;*‘ rhetor. praecept. 11 ‚*εὑρήσεις . . . ἄνδρα . . . τῷ δακτύλῳ ἄκρῳ τὴν κεφαλὴν κνώμενον*‘. Si Lucilii sat. frgm. XXIX, 25 p. 115 ed. Muel. ‚hic me ubi vidit, subblanditur, palpatur, caput scabit‘, quod sane de blan-

---

[1]) ad quod Solanus Luc. ed. Bipont. confert Plut. 1087.

[2]) Herm. Fritzschius hos locos adnot. a. h. l. collocat.

diente dictum est, Varronis fr. p. 261 ,scabens caput novo partu poetico', Persii V 162 ,crudum unguem abrodens' de zelotypo dicentis, similium locutionum ,χείλη δάκνειν[1]), γλῶτταν δάκνειν', de haesitantibus, de iratis usurpatarum recordatus eris[2]), ne hanc quidem similitudinem casui tribuere dubitabis[3]).

Apud Horatium in initio artis poeticae scripta sunt haec: si quis pictor monstrum ita formavit, ut caput sumeret a formosa muliere, cervicem ab equo, caudam a pisce, cetera membra variis plumis induta ab aliis animalibus, risum movet; aeque ridiculum est poema non ex aptis partibus constans. Apud Lucianum imag. 5, ubi Lycinus, pulchram feminam descripturus, pulcherrimas partes pulcherrimorum Praxitelis, Alcamenis, Calamidis, Phidiae operum in unam concinnamque imaginem a ratione componi vult, Polystratus respondet haec ,εὖ λέγεις ·καὶ δὴ παραλαβὼν δεικνύτω. ἐθέλω γὰρ εἰδέναι ὅ, τι καὶ χρήσεται αὐταῖς ἢ ὅπως ἐκ τοσούτων μίαν τινα συνθεὶς οὐκ ἀπᾴδουσαν ἀπεργάσεται'. Similia in his verbis duo insunt: quod de mixta quadam atque composita imagine agitur et quod concinnitas quaedam sive ipsius rei sive eius, quacum comparata est, postulatur. Quarum similitudinum cum haec, quae ex ipsa incepti natura sequitur, nihili aestimanda sit, manet illa, quod de imagine ex variis rebus composita uterque dicit. In hac autem imagine describenda cum Lucianus se (non Menippum, sed) Homerum imitatum esse apertis verbis declaret[4]), ne Horatium quidem hoc loco Menippum secutum esse dicemus.

---

[1]) ἑαυτὸν δάκνειν Aristophanes ran. 43, vesp. 778 pro ,sich das Lachen verbeissen' adhibet.

[2]) cfr. Wyttenb. ad Eunap. p. 109, Boisson. p. 348.

[3]) cfr. etiam Quintil. X 3, 21; XI 3, 158.

[4]) pro imag. 24: ,εἰ δὲ καὶ ὅ, τι μάλιστά σε αὐταῖς ἐκείναις (sc. ταῖς θεαῖς) εἴκασα, οὐκ ἐμὸν τοῦτο, οὐδ' ἐγὼ πρῶτος ταύτην ἐτεμόμην τὴν ὁδόν, ἀλλὰ πολλοὶ καὶ ἀγαθοὶ ποιηταί, καὶ μάλιστα ὁ πολίτης ὁ σὸς Ὅμηρος', 25 ,ἐπὶ μέν γε τοῦ Ἀγαμέμνονος ὅρα ὅσην αὐτὸς (i. e. Ὅμηρος) φειδὼ ἐποιήσατο τῶν θεῶν, καὶ ὡς ἐταμιεύσατο τὰς εἰκόνας ἐς τὸ σύμμετρον, ὃς ὄμματα μέν φησι (Il. II 478, 479) καὶ κεφαλὴν ἴκελον αὐτὸν εἶναι τῷ Διί, τῷ Ἄρει δὲ τὴν ζώνην, στέρνον δὲ τῷ Ποσειδῶνι, διαιρῶν τὸν ἄνθρωπον κατὰ μέλη πρὸς τοσούτων θεῶν εἰκόνας'.

Horat. a. p. 9, 10: ‚Pictoribus atque poetis Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas‘, Luc. pro imag. 18 ‚*παλαιὸς οὗτος ὁ λόγος, ἀνευθύνους εἶναι καὶ ποιητὰς καὶ γραφέας*‘. His locis omnem vim detrahunt Diphilus apud Athen. VI, 1: ‚*ὥς οἱ τραγῳδοί φασιν, οἷς ἐξουσία ἐστὶν λέγειν ἅπαντα καὶ ποιεῖν μόνοις*‘, Aristot. Metaph. 1, 2 ‚*κατὰ τὴν παροιμίαν, πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί*‘ [1]), Plato de republ. II 17 sq.

Horat. epod. XVI, 21: ‚Ire, pedes quocumque ferent‘, carm. III, 11, 49: ‚I, pedes quo te rapiunt et aurae‘, Luc. Hermot. 28 ‚*ἰέναι ἔνθα ἂν ἡμᾶς οἱ πόδες φέρωσι*‘. Confer similes locos ab editoribus inprimis Lambino et Mitscherlichio adnotatos: jam etiam hos locos nullius momenti esse intelleges.

Horat. carm. III 24, 42, 43: ‚pauperies . . jubet Quidvis et facere et pati‘, Luc. apolog. pro merc. cond. 10 ‚*τὴν πενίαν πάντα ποιεῖν καὶ πάσχειν ἀναπείθουσαν*‘. Atque sententia quidem illa ‚paupertas quidvis imperat‘ frequens est, ut occurrit etiam apud Timoclem, Stob. flor. (ed. Gaisf.) III 96, 22: ‚*πολλοὺς γὰρ ἐνίοθ' ἡ πενία βιάζεται ἀνάξι' αὐτῶν ἔργα παρὰ φύσιν ποιεῖν*‘ et apud Philemonem ‚*ἡ γὰρ σπάνις πρόχειρος εἰς τὸ δρᾶν κακά*‘ [2]). Eam igitur sententiam quod Horatius in hanc formam redegit ‚paupertas jubet omnia et facere et pati‘, morem [3]) apud poetas oratoresque late patentem secutus est, cum oppositione aliqua adhibita simplicem sententiam in duas partes distribueret. Itaque ne haec quidem similitudo quidquam valet.

---

[1]) convenit cum hoc loco Luc. Hermot. 72 ‚*ὃ γε νῦν ἔπραττες καὶ ἐπενόεις, οὐδὲν τῶν ἱπποκενταύρων παὶ χιμαιρῶν καὶ γοργόνων διαφέρει, καὶ ὅσα ἄλλα ὄνειροι καὶ ποιηταὶ καὶ γραφεῖς ἐλεύθεροι ὄντες ἀναπλάττουσιν οὔτε γενόμενα πώποτε οὔτε γενέσθαι δυνάμενα*‘.

[2]) cfr. etiam Hor. ep. II 2, 51 ‚paupertas impulit audax ut...‘ et Schmidi adn. et Mitscherl. adn. ad carm. III 24, 42.

[3]) comprobatus est multis exemplis, quorum nonnulla Mitscherl. ad l. Horat., quem tractamus, et Pricaeus ad Apul. Met. IX p. 189 adnotant. Lucianus huius consuetudinis exempla in apolog. pro merc. cond. 4 ‚*μυρία τὰ δυσχερῆ πάσχων καὶ ποιῶν*‘, in cynic. 10 ‚*τί δὲ δεῖ λέγειν ὅσα τῶν ἀφροδισίων ἕνεκα πράγματα ποιοῦσί τε καὶ πάσχουσιν οἱ ἄνθρωποι*‘ dat.

Horat. carm. III 16, 1—11: ‚Inclusam Danaen turris ahenea Robustaeque fores et vigilum canum Tristes excubiae munierant satis Nocturnis ab adulteris, Si non Acrisium virginis abditae Custodem pavidum Juppiter et Venus Risissent: fore enim tutum iter et patens Converso in pretium deo. Aurum per medios ire satellites Et perrumpere amat saxa potentius Ictu fulmineo', Luc. gall. 13 ‚ὁ δὲ πάντων θεῶν πατὴρ καὶ ἀνδρῶν, ὁ Κρόνου καὶ Ῥέας, ὁπότε ἠράσθη τῆς Ἀργολικῆς ἐκείνης μείρακος, οὐκ ἔχων ἐς ὅ τι ἐρασμιώτερον αὑτὸν μεταβάλοι, οὐδὲ ὅπως ἂν διαφθείρειε τοῦ Ἀκρισίου τὴν φρουράν, ἀκούεις δή που ὡς χρυσίον ἐγένετο καὶ ῥυεὶς διὰ τοῦ τέγους συνῆν τῇ ἀγαπωμένῃ'. Addit A. Heinrichius, sane in ultimo capite 14 eum versum afferri, qui teste Stobaeo [1]) ex Euripidis fabula, quae inscribitur Danae, sumptus esse videatur. Atque ut primum de hoc versu ‚ὦ χρυσέ, δεξίωμα κάλλιστον βροτοῖς' dicam, revera ex Euripidis Danae eum sumptum esse comprobant Dindorfius [2]), Nauckius [3]), F. Fritzschius [4]), qui Stobaeo maiorem fidem tribuunt quam Senecae [5]), qui ex Bellerophonte Euripidis eum affert. Neque tamen propterea quod hic versus ex Euripidis Danae petitus est, tota apud Lucianum fabula inde fluxisse putanda est, sed vulgari modo, qualem Apollodorus [6]) et Hyginus [7]) fabulam exhibent, non certi scriptoris exemplo eum rem narrasse ipsius eius verba ‚ἀκούεις ἤδη που' indicant. Ergo neque Menippi Lucianus hic recordatus est, neque habemus, cur Horatio Menippum ante oculos versatum esse dicamus. At mirum, quod ut Lucianus ita Horatius hanc fabulam ad illustrandum illud ‚auro cedunt omnia' adhibet. Mihi quidem ne huic quidem rei quidquam tribuendum esse videtur; nam, cum fabulas exempli causa afferre constituisset, in hanc quoque eum incidere necesse fuit.

Horat. sat. II 2, 70—72: ‚Accipe nunc, victus tenuis quae quantaque secum Adferat. In primis valeas bene: nam variae res Ut noceant homini credas', Luc. gall. 23 ‚ὥςτε

---

[1]) XCI, 4, vol. III ed. Gaisf. p. 217. [2]) poet. scen. ἀποσπασμάτια p. 90, Danaes frg. XIV. [3]) trag. Gr. frg. p. 363. [4]) edit. Luc. adn. a. h. l. I 1 p. 126. [5]) epist. CXV. [6]) II 4, 1. [7]) fab. 63.

διὰ ταῦτα ὑγιαίνεις τε καὶ ἔρρωσαι τὸ σῶμα ... οἱ δὲ ὑπ' ἀκρασίας ἄθλιοι τί τῶν κακῶν οὐκ ἔχουσι;' Ne haec quidem similitudo singulare quidquam habet; nam Horatius, cum modicum victum prae luxurioso commendaret, ita quoque eum commendare debebat, ut validos eum homines reddere moneret. Cfr. etiam similes locos apud Theognidem 605—606 ,*Πολλῷ τοι πλέονας λιμοῦ κόρος ὤλεσεν ἤδη ἄνδρας, ὅσοι μοίρης πλεῖον ἔχειν ἔθελον*', Aristotel. problemat. *ά* 15, Cic. Tusc. V, 34, 99, 100, Diog. L. X 1, 131.

Hor. ep. I, 18, 7: ,tonsa cute', Luc. bis accus. 20 ,*ἐν χρῷ κέκαρμαι*'. Stoicos vel eos, qui Stoicorum speciem affectabant, verbis ,tonsa cute' Horatius hic describit; hoc autem a certo quodam auctore eum sumpsisse ideo opinari non licet, quia poetae omnes comici et satirici ita dicere solent. Morem Stoicorum capillos tondendi etiam Juvenalis 2, 15 ,Atque supercilio brevior coma' et Lucianus vit. auct. 20, fugit. 27, Hermot. 18 alii notant.

Horat. sat. I, 5, 16: ,Multa prolutus vappa', cfr. etiam sat. II, 4, 26, Luc. Dial. deor. XXIII 2 ,*ἱκανῶς ὑποβεβρεγμένοι*', cfr. etiam gall. 8, asin. 51, Philopatr. 4, Icaromen. 27. Cum et apud Graecos ,*ὑποβεβρεγμένος*' pro ,aliquantulum appotus' Eurip. Electr. 326, Plut. moral. p. 152 D, Poll. VI 25, Heliod. V. p. 255, Long. II p. 60 et apud Romanos ,se proluere' pro ,bibere' et ,potare' vulgari in usu fuisse Plaut. Curc. I 2, 28, Verg. Aen. I, 739, Pers. prolog. 1 demonstrent, non est, cur de ulla imitatione cogitemus.

Quoniam iam eas quoque similitudines, quas Heinrichius attulit, perlustravimus, ne harum quidem in numero ullam esse judicare licet, quae ad Menippum jure referatur. Itaque ipsas Horati saturas cum Luciano et Varronis saturis Menippeis comparatas nihil ad stabiliendam suspicionem illam, Horatium usum esse Menippo, conferre elucet.

Sed jam, ut breviter comprehendamus, quae dissertatione ad finem perducta comprobavimus, in memoriam revocemus, quam viam secuti simus. Primum igitur Menippi vitam et scribendi genus adumbravimus. Deinde in universum quae ratio inter Horatium et scriptores Graecos intercederet, expli-

cavimus. Qua re etsi probatum erat, Horatium Menippo uti non potuisse, tamen certum judicium non pronuntiavimus. Tertia igitur parte ipsa opera inter se comparata sunt, Horati et — non Menippi quidem, ex cuius libris pauca fragmenta supersunt, sed Luciani Varronisque saturae Menippeae, qui illum secuti, paene soli paulo plura de eo suppeditant. Atque similitudines satis multae indagatae sunt, quae tamen cur ad Menippum revocentur, cum unaquaque alio modo explicari possit, non est. Itaque nos non habere, cur Menippum exemplo fuisse Horatio dicamus, statuendum est et hac in re acquiescendum; nam ne magnus quidem numerus similitudinum quidquam valet, quoniam ipsi scriptores et eiusdem paene indolis atque naturae fuerunt et simile scribendi genus coluerunt.

VITA.

Natus sum Carolus Ernestus Godofredus Rowe ante diem VIII. Calend. Septembris a. h. s. LXIII Stetini patre Hermanno, musicae praeceptore, matre Ottilia e gente Puhlmann, quos adhuc superstites esse quam maxime gaudeo; fidei addictus sum evangelicae. Urbis patriae gymnasii Mariae disciplina per decem annos usus autumno anni LXXXII maturitatis testimonio instructus, ut philologiae operam darem, primum universitatem Berolinensem adii. Tribus semestribus post Gottingam me contuli, ubi sex menses commoratus sum. Tum Halas Saxonum migravi, ubi per quattuor semestria civis academicus fui.

Docuerunt me viri clarissimi Kirchhoff, Hübner, Paulsen, Roediger, Vahlen, Maass, Zeller, de Treitschke, Kiepert Berolinenses; Sauppe, Peipers, de Wilamowitz-Moellendorff, de Leutsch, Goedeke, Heyne, Dilthey Gottingenses; Keil, Zacher, Gosche, Dittenberger, Hiller, Heydemann, Vaihinger, Haym, Gering, Uphues, Burdach Halenses. Seminarii philologici exercitationibus ut interessem per sex menses Sauppe et Dilthey, per quater sex menses Keil, Hiller, Dittenberger benignissime mihi permiserunt; societatibus, quas instituere solebant, Zacher, Gering, Uphues, Burdach me admiserunt.

Inde a Calendis Juliis munere signatoris universitatis Halensis bibliothecae fungor.

Omnibus autem viris, qui me docuerunt, imprimis Keilio et Hillero, gratiam semper habebo quam maximam.